



In prophetam Oseam, reverendi viri D. Ioannis Brentii expositio

<https://hdl.handle.net/1874/396059>

2

IN PROPHETAM

OSEAM, REVERENDI VIRI D. IOANNIS
BRENTII EXPOSITIO, ANTE TRIGIN-
TA ANNOS GERMANICE AB IP SO AVTORE ÆDI-
ta. Nunc autem à studioso quodam Theolo-
giæ Latinitate donata.



Vnà cum Indice rerum memorabilium.

FRANCOFORTI EXCVDE-
BAT PETRVS BRVBACHIVS,
Anno M. D. LXII.

IN PROPHECIAM

OSHEAM REVERENDI VIRI D. IOHANNIS
KRANTZII EXPOSITIO ANTE TRIGINTA
ANNOS GERMANICE AB IPSO AUCTORE EDITA
ET NUNC ANTIQVA ANTIQVAE QUODAM THEOLO-
GICO I. ANTIQVAE DOCTORE



VERUM QUAERERE VERITATEM

FRANCOPORTI EXCVDE
P. PETRVS BRVACHIVS
ANNO M. DC. LXXI

PRÆFATIO IN

OSEAM PROPHETAM.



VLTORVM animis hæc opinio obrepfit, Prophetas Veteris Testamenti tantum Iudæis, qui ante Aduentum CHRISTI uixerunt, non item nobis Christianis, hoc tempore uitam degentibus, esse concionatos: ideoque conciones eorum prorsus nihil ad nos pertinere existimant. Operapre-

cium igitur me facturum spero, si, antequam Oseam, diuina aspirante gratia, interpretandum suscepero, ostendam omnium Prophetarum, qui olim in populo Israel extiterunt, conciones, non solum Iudæis, uerum etiam nobis Christianis, qui ex gentibus originem nostram ducimus, dictas atque propositas esse. Nam quemadmodum Deus opt. Max. omnes uisibiles creaturas, quæ uel in cælo, uel in terra sunt, creauit, atque ad hunc finem ordinauit, ut ex uisibilibus creaturis ipsius (quemadmodum Paulus ad Roma. j. testatur) inuisibilis gloria, atque maiestas aliquo modo cognosceretur: Ita ex omnib. gentibus & nationibus, quæ sub cælo sunt, idem Deus posteritatem Abrahami, non quidem propter ipsius iusticiam, sed propter promissiones Abrahamo, Isaaco & Iacobo factas, in peculiarem populum elegit, Non aliam ob causam, quam ut non tantum in hoc populo innotesceret, uerum etiam uniuerso generi humano Magisterium suum manifestaret, Et exempla Benignitatis quidem atque misericordiæ erga resipiscentes: Iudicij autem & seueritatis iræ suæ erga impœnitentes, & præfractos peccatores statueret, Atque adeo omnium suorum operum exemplar quasi ob oculos poneret. Itaque quemadmodum se in gente & posteritate Abrahamæ, doctrina, Exhortatione, Misericordia, Indignatione, longanimitate, & supplicijs gessit: Ita certissimè sese erga quasuis gentes, uel credulas, uel incredulas, declaraturus est. Vnde & Moses Deutero. uigesimo sexto de posteritate Abrahami scribens, ita ait: Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, & custodias

omnia præcepta illius, & faciet te excelsiorem cunctis gentibus, quas creauit in laudem, & nomen, & gloriam suam, ut sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est. Et Ieremias capite decimotertio: Sicut adhæret lumbare ad lumbos uiri, sic adglutinaui mihi omnem domum Israel, & omnem domum Iuda, dicit Dominus, ut essent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam.

Videamus ergo opera Dei, quæ in hoc populo, ad ostendam gloriam nominis sui, toti orbi terrarum proposuit. Etenim Israellem in tantum dilexit, ut omnibus eum beneficijs affecerit. Dedit enim eis, iuxta promissiones suas, non solum peculiare Regnum, uerum etiam Sacerdotium singulare, & Ceremonias, quæ essent typus & figura uenturi Unigeniti sui filij Domini nostri Iesu Christi: atque adeo nullo non beneficiorum genere eos obruit. Sed quemadmodum bestia, si quando delicatiori pabulo saginantur, non tractabiliore, sed ferociore redduntur: Ita populus Israel, quo maioribus à Deo donis ornabantur, eo subinde ferociore efficiebantur, donec tandem relicto uero Deo benefactore suo, & abiectis diuinis cultibus, quos Deus per Moysen seruum suum ipsis ad exercendam fidem suam in promissum Semen Abrahæ præscripserat, instituerent noua sacra, & cultus uerbo Dei seuerissimè prohibitos. Nunc enim Baal, nunc Chamos, nunc Chamarim, mox Astaroth seruiuerunt, extruentes his gentium Idolis in Lucis, in uallibus, & ut Scriptura loquitur, subter omnem frondosam arborem Excelsa, aut ut nos uocare solemus, Collegia & Monasteria. Atque ita quidem se erga Deum gesserunt. Sed quia defectio à Deo plerumque secum trahit impietatem uitæ, facile conijcere possumus, quod & ipsi Prophetæ testantur, secutam esse omnis generis iniquitatem. Principes eorum uariè peccabant in subditos pauperes immodicis expilationibus. Non consuluerunt paupertati ciuium, sed ut Fiscus ipsorum aueretur, & ut ipsi uitam in luxu transigerent. Priuati uerò in hoc præcipuè studio incumbabant, ut quibus possent artibus, dolis, nugis, imposturis, mendacijs, & periurijs opes congregarent, & aliorum incommodo ditescerent. Quid dicam de Inuidia, Adulterijs, & alijs uitijs? Lernam profectò omnium impietatum & scelerum in hoc populo uidisses. At Deus Opt. Max. hisce nihil mo

tus, sed potius conuiuuit, & nihilominus alia insuper beneficia eis præstitit. Nam dedit eis optimum pijsimumque regem Dauid, per quem restaurauit collapsam penè Religionem de uenturo Christo, promittens ei, quòd ex familia ipsius esset nasciturus. Defuncto Rege Dauid, Salomon filius in Regno diuino iussu & bonitate Dei successit, cuius tempora adeo tranquilla, ab omni hostium metu libera, atque fœlicia erant, ut tanta esset copia argenti, quanta ferè lapidum in plateis. Atque ut omnia simul dicam, nullis non beneficijs, corporalibus & spiritalibus, Deus hunc populum suum obruit, hoc nimirum consilio, ut impium illum populum benefaciendo ad meliorem frugem & Resipiscentiam inuitaret. Sed ò meliorem frugem, & Resipiscentiam. Quò maioribus fruebantur benedictionibus, & beneficijs Dei, eò deteriores reddebantur.

Alia igitur (cùm hæc non processisset) uia aggreditur, accipiens nimirum in manum uirgam & pœnam, quibus præuariantes ad pœnitentiam cogeret. Nam post obitum Regis Salomonis, uniuersum Imperium eorum per discordiam in duo diuisit regna. Decem enim tribus deficientes à filio Salomonis Rehabeam, constituerunt singulare regnum, eligentes in regem Ierobeam seruum Salomonis, quòd regnum uocatum postea fuit regnum Israelis. Duæ uerò reliquæ tribus, Iuda & Benjamin sub Imperio Dauidicæ familiæ remanentes, subiecerunt se filio Salomonis Rehabeam, dictumque est ipsorum Imperium Regnum Iuda. Diuiso itaque, ut diximus, propter ipsorum scelera & impietates, Regno, perseverarunt nihilominus non tam in sua erga Deum impietate, quàm erga proximos suos iniquitate. Potuisset ergo Deus optimo iure eos funditus delere, sed adhuc parcens suo populo, quem hactenus, ut suprà demonstrauimus, summa benignitate complexus fuerat, noluit penitus opprimere & deuastare, ne à uicinis gentibus, tanquàm crudelis tyrannus, malè audiret. Est enim Deus natura sua talis, ut malit hominibus parcere, & benefacere, quàm contra suam naturam, eos propter suas impietates perdere. Sed quid dicas? Tantum abest, ut homines in his duobus regnis sese emendant, & resipuerint, ut potius longanimitate & patientia Dei abuterentur, atque subinde obstinatiores, excæciores, & multò deteriores fierent. Et quia Deus non statim totam gentem de-

uastabat, existimabant suos impios & Idololatricos cultus summam esse pietatem, & iniusticias suas, quas contra proximos exercebant, esse summam iusticiam: atque eò res ueniebant eorum, ut quo quis astutius alteri imponere, & suas res iniquius augere posset, eo prudentior ab omnibus alijs haberetur. Summam ergo sibi promittebant securitatem, cogitantes intra se: Qui fieri posset, ut hi noui nostri diuini cultus essent impij: Aut nostri mores displicerent Deo, cum nunquam feliciores fuerimus, quam cum cœpimus hos cultus diuinos, & mores nostros sectari & obseruare? Mendaces igitur erunt nostri concionatores, qui hanc nostram Religionem & uitam solent reprehendere.

Quemadmodum & Papistæ nostri, hoc tempore nostro, se iustificare solent. Cum enim reprehenditur à nobis Papistice Missæ impietas, mox Aduersarij uociferari incipiunt: Quid ad Nos Lutherani? Nihil moramur ipsorum clamores, quibus sacrosanctum sacrificium Missæ improbant. Videmus enim ab hoc tempore, quo Missa cœpit pro Sacrificio, pro peccatis uiuorum & mortuorum haberi, Ecclesiam Christi omnibus diuitijs mundanis auctam, & nunquam maiori prosperitate usam esse. Et cum tempora hæctenus, durante hoc Sacrificio Missæ, fuerint commoda & tranquilla, quis ausit Missam Impietatis arguere?

Igitur, Cum Iudæi eò Impietatis processissent, ut potius suas Idololatrias & iniquitates iustificarent & excusarent, quam agnoscerent, non potuit Deus amplius conuiuere (Etenim ferre aliquomodo potest iniquitatem, si agnoscat, & pro iniquitate habeatur. Ferre autem non potest, ut iniquitas iustificetur.) Decreuit igitur sese gentem Israeliticam deleturum. Attamen à ueteri sua Benignitate recederet, & nondum monitos deleteret, uoluit ad eos antea quidem mittere Prophetas, qui ex lege Mosi primùm peccata populi arguerent, atque ostenderent, Deum hæctenus ad ipsorum Idololatricos cultus, & nequiciam non ideo conuiuisse, aut eis benefecisse, ut eos approbaret, sed potius ut ipsos hac sua bonitate, longanimitate & dilatione pœnarum ad pœnitentiam inuitaret. Constat etenim hoc consilio Deum differre pœnas, benefacere impijs, ac instituta eorum fortunare, non ut mali arbitrantur, quòd malefacta eorum sint

sint commendanda, sed ut ad resipiscentiam uocentur. Deinde ut denunciarent futuram deuastationem, qua Deus utrumque Regnum, Iudæ & Israelis uisitare uelit, ut non tantum ex reprehensione suorum peccatorum, uerum etiam ex denunciatione impendentis deuastationis ad Resipiscentiam cogerentur. Sed (ut dicitur) oleum & opera perierunt. Etenim ex concionibus Prophetarum, & futurorum malorum denunciatione, adeo non resipuerunt, ut etiam Prophetas contempserint & persecuti sint, donec uel tandem tota Gens deuastata, & in miseriam captiuitatem externorum Regum coniecta sit. Et ne quid supplicij omitteretur, nouissimè etiam excæcata est, & ad æternum Gehennæ ignem destinata.

Audiuimus, quæ opera DOMINVS DEVS noster in populo Israel fecerit. Cùm ergo, ut supra diximus, Deus Magisterium, & opera manuum suarum, omnibus gentibus & Nationibus, exemplo suæ gentis, cognoscenda proposuerit: Nec non scelera, quæ Iudæi perpetrarunt, deuastationem eorum attulerint, atq; adeo contemptus Prophetarum concionum certissimum signum imminentis exitij fuerit, facile nunc quiuis, etiam mediocri ingenio præditus, conijcere & secum in animo reputare potest, Dominum Deum nostrum, omnium nationum & populorum, non tantum externa scelera, quibus se se pares Israelitis faciunt, uerum etiam contemptum uerbi sui reuelati, exemplo populi Iudaici, seuerissimè ac grauissimè puniturum.

Proinde etsi Prophetæ missi tantummodo sunt ad Iudæos, tamen pertinent eorum conciones non ad Iudæos tantum, sed ad omnes ubiuis terrarum Gentes, propterea quòd Deus opera sua, atque adeo gloriam Nominis sui in Israel manifestare uoluerit.

Quare ad omnes quoque pertinet, quod Prophetæ Amos capite tertio scribens dicit: Nunquid rugiet Leo in saltu, nisi habuerit prædam? Nunquid dabit cæculus Leonis uocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit? Nunquid cadet auis in laqueum terræ absque aucupe? Nunquid auferetur laqueus de terra, antequàm quid ceperit? &c. Quasi diceret: Dominus Deus noster quando clamat per Prophetas & concionatores

PRÆFATIO.

suos, & ad pœnitentiam hortatur, certè non frustra clamat, sed hoc clamore & reuelatione uerbi sui significat præforibus esse pœnam, qua uisitaturus sit peccata & scelera hominum.

Sic rugiuit Leo iste per Noam. Attulit ergo rugitus ille secum diluuium, quo totus orbis terrarum uastatus & submersus fuit.

Deinde rugiuit hic Leo per Loth, & attulit secum hic rugitus incendium Zodomę.

Adhæc cum rugiret hic Leo per suos Prophetas ante primam deuastationem Hierusalem per Nebucadnezarem, Et per Christum filium suum, nec non per Apostolos ante secundam deuastationem, per Vespasianum Romanorum Imperatorem, mox secuta est deuastatio gentis & Regionis.

Sic Rugit hoc tempore Leo ille Deus in Germania per Euangelium suum, quod diuina sua clementia reuelauit: atque nos ad pœnitentiam hortatur. Sed quia alij hoc uerbum Dei maliciose persequuntur, alij uerò contemnunt: atq; adeo prorsus similia, interdum etiam atrociora apud nos scelera reperiuntur, quàm olim Iudæi perpetrarint, certissimum est maxima, atque grauissima mala nobis impendere. Deus Optimus Maximus clementer à nobis auertat Amen.

Deinde Iudæi propter suam incredulitatem ex fructifera olea, omnium cœlestium & diuinorum bonorum excisi, & tanquàm aridi rami abiecti sunt. Nos uero Gentes, (quemadmodum Paulus ad Romanos capite nono ostendit) fructifere oleę sumus insertæ. Atque inter reliqua huius Oliuę bona, possidemus nunc sacram Scripturam. Itaque quemadmodum Scriptura sacra Semini Abrahamę olim fuit data: Ita nunc nobis, qui ex Gentibus sumus, data est, propterea quòd Iudæis abiectis Deus nos in gentem suam adoptauerit. Ita enim ait Oseas propheta: Vocabo populum, qui meus non erat, populum meum, Et eam, quæ dilecta non erat, dilectam. Et erit in loco, ubi dictum fuerat eis, Non populus meus uos, ibi uocabuntur filij Dei uiuentis. Quare quicquid olim Prophetę Iudæis sunt concionati, hoc nobis, qui Iudæis successimus, certissimis argumentis dictum esse putemus.

Adhæc

PRÆFATIO.

Adhæc, Paulus ad Roman. xv. & j. Corinth. x. nec non ij. Timoth. iij. similiter Petrus in sua posteriori Epistola cap. j. testantur: quòd omnis scriptura diuinitus inspirata utilis sit ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iusticia, ad figuram, & admonitionem nostri: Ad lucernam apparentem in obscuro loco, donec dies illucescat, & Lucifer exoriatur in cordibus nostris. Manifestum igitur est, quòd Prophetarum conciones (cùm & ipse in sacra scriptura contineantur) ad nos pertineant, & magnam nobis utilitatem afferant.

Cùm itaq; Oseam, qui inter duodecim minores Prophetas primus numeratur, diuina clementia adiuti, interpretandum susceperimus, comprobabimus ante omnia autoritatem eius ex nouo testamento, ut non tantùm cognoscamus ueritatem concionum eius, uerum etiam discamus, quòd quicquid Iudæis est concionatus, idem nobis quoque sit dictum. Etenim Dominus noster Iesus Christus, æternus filius Dei, Matthæi nono ad Phariseos, calumniantes ipsum, quòd cum peccatoribus & publicanis cibum sumeret, ex hoc Propheta concionatur, dicens: *Ite, & discite, quid sit illud: Misericordiam uolo, & non sacrificium.* Qua sententia Christus ita est delectatus, ut apud eundem Euangelistam, capite duodecimo, eam iterum adducat, dicens ad Phariseos: *Quòd si sciretis, quid sit: Misericordiam uolo, & non sacrificium, nequaquam condemnassetis infontes.* Hæc autem sententia legitur in huius Prophetæ capite sexto. Si igitur Christus, qui est ueritas, huius Prophetæ testimonijs ad comprobendam suam doctrinam utatur, certè uerba Prophetæ huius non pro humanis, sed pro Dei uerbis sunt habenda, & eo magis obseruanda, quòd Christus ipse filius Dei eis sit delectatus.

Similiter Euangelistæ & Apostoli suas conciones autoritate huius Prophetæ confirmarunt. Matthæus capite secundo, probaturus Christum, Mariæ filium, esse uerum Messiam, ex eo quòd ex Aegypto uocatus esset, utitur Oseæ testimonio, dicens: *Vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem: Ex Aegypto uocaui filium meum.* Diuus Paulus Apostolus ad Roman. cap. ix. ex hoc nostro Propheta

Gentium (hoc est, nostram, quam ex gentibus originem duximus) uocationem ad Christum probat, dicens: Quos uocauit, nimirum nos, non solum ex Iudæis, uerum etiam ex gentibus, quemadmodum & ipse dicit: Vocabo populum, qui meus non erat, populum meum, & eam quæ dilecta non erat, dilectam. Hoc ergo gratior nobis debet esse hic Propheta, quod de nobis uocandis ad fidem in Christum, clarius est concionatus. Sed interea quæ de Reiectione Iudæorum dicit, ea quoque, quoniam æqualis peccatorum sortis cum Iudæis sumus, nobis nunc dicta esse existimemus, quemadmodum apertè in expositione Prophetæ indicabimus.

Aliud testimonium citatur à Paulo in priori ad Corinthios cap. decimo quinto, ubi dicit: Tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est Mors in uictoriam. Vbi tuus Mors aculeus? Vbi tua Inferne uictoria? Qui sermo in huius Prophetæ capite decimo tertio inuenitur. Quis igitur tam impudens esset, ut diceret, Oseam tantum Iudæorum, non item Christianorum esse concionatorem?

Postremo meminit huius Prophetæ Apostolus in ea Epistola, quæ ad Hebræos scripta est capite tertio: Per ipsum (inquit) offerimus hostiam laudis semper Deo, hoc est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Quæ uerba partim in hoc Propheta capite decimo quarto leguntur. Hæc uerò ideo nobis tam diligenter proponuntur, ut exijs autoritatem huius nostri Prophetæ cognoscamus. Proinde diligenter uerba eius attendamus, & Deum humano sono per ipsum nobiscum loquentem agnoscamus. Hic enim nobis non Sibyllarum nugæ, quæ apud uulgum in magno sunt precio, proponuntur, sed cum diuino spiritu de futura calamitate Regni Israel uaticinatus sit, atque exitus uaticinij eius ueritatem probauerit, existimamus eum nobis multò certius deuastationem Germaniæ annuntiare, quàm si Sibyllæ omnia sua uaticinia & nugæ conferrent. Caterùm quo tempore Oseas prophetauerit, ex titulo & inscriptione eius facilè intelligi potest. Ita

enim sonat:

C A P.

CAPVT I.



VERBUM DOMINI QVOD FACTVM EST
AD OSEAM FILIVM BEERI, IN DIEBVS
VSIAE. Qui & Azarias dicitur. IN DIEBVS IO
THAM, ACHAS, ET HISKIAE, REGVM IV.
DA. De quibus scriptum est iij. Regum xv. xvj. & xvij. capitibus,
& ij. Paralipo. cap. xxvj. xxvij. xxviii. & xxix. ET IN DIEBVS IE-
ROBEAM REGIS ISRAEL. Non illius, qui fuit filius Nebath,
& peccare fecit Israel, instituendo aureos vitulos in Dan, & Be-
thel, Sed illius, qui fuit de familia Iehu, & de quo scriptum est iij.
Regum xiiij.

Hæc est Inscriptio concionum Oseæ, è qua manifestum fit,
ipsum prophetasse paulò antè deuastationem Israelis per Salma-
nassarem Regem Syriæ, quam & fore prædixit, & quòd *σύντονον*
fuerit Esaia, Amos, Ionæ & Michæ, qui uno tempore, diuersis ta-
men locis futuram calamitatem super Regnum Israel prædixe-
runt. Et quantum ex concionibus eius colligi potest, prædica-
uit usq; ad deuastationem Regni Israel per Salmanassarem Re-
gem Syriæ. Appropinquante uerò deuastatione, aut fugit ad
Hiskiam Regem Iudæ, aut mansit inter illos, qui Regis Syriæ ma-
nibus elapsi in terra Israel remanserunt, quorum fit mentio ij. Pa-
ralip. xxx. Nihil tamen certi hic affirmare ausim. Hoc uerò certis-
simum est, quòd non solum de deuastatione Regni Israelis, Ve-
rum etiam de Abiectione Iudæorum instinctu Spiritus sancti
fit concionatus. Audiamus igitur quid Deus per Spiritum san-
ctum cum eo sit locutus, & quomodo id quod prædixit, ipso
opere sit impletum.

PRINCIPIVM VERBI DOMINI IN OSEA. ET DIXIT
DOMINVS AD OSEE, VADE SVME TIBI VXO-
REM FORNICATIONVM. ET FILIOS FORNICA-
RIOS, QVONIAM FORNICANS FORNICATA EST
TERRA POST DOMINVM.

Antequàm Propheta aggreditur uocationem suam, & pri-
usquàm concionari incipit, iubetur à Deo, ut ducat inhone-
stam, & fornicariam uxorem, ut ex ea suscipiat liberos fornicari-
os. Quid autem hoc sibi uult, quòd Dominus Oseam in Pro-
phetam electurus, iubet ipsum incipere hoc sanctum suum mu-

nus scortatione? Tamen non fert paterfamilias à filio suo, ut inhonestam mulierem in uxorem ducat. Et summus Paterfamilias Dominus Deus noster iubet Prophetam scortum ducere? In Lege Leuit. xxj. de summo sacerdote scribitur: Virginem ducat uxorem, uiduam autem, & repudiatam, & sordidam, & meretricem non ducat. Si igitur non licuit sacerdoti meretricem ducere, certè multò minus honestum fuit in Propheta, donis Sacerdotum antecellenti, ut non solùm contra Legem sacerdotum, uerum etiam contra publicam honestatem scortum in uxorem ducat. Quid igitur sibi uult Deus præcipiendo Propheta, ut se cum scorto coniungat? Nihil prorsus opus est hisce obiectionibus. Scimus enim hoc solenne esse Domino Deo nostro, ut contra mundi rationem opera sua incipiat. Prudentes huius seculi, sublimia sua opera & excellentia, magna prudentia aggrediuntur, sed tandem in extremam stulticiam desinunt, quemadmodum uides in ædificatoribus turris Babylonice. Deus autem, magnum facturus opus, stultè quidem & ruditer incipit, desinit autem prudentissimè, & quanto stultius apparet esse principium, tanto excellentior erit tandem finis. Exemplum habes in Dauide, hunc Deus olim in Regem erat electurus, sed priusquam eum in Regium solium collocet, per Saulem ex Regno in exilium abigit. Item in unigenito filio suo Domino nostro Iesu Christo, Hunc cum ad salutem omnium credentium uoluisset in summam maiestatem cœli & terræ collocare, quid fecit? coniecit eum ante omnia in ignominiam, Mortem, & infernum.

Sic cum uellet Dominus maxima & seuerissima sua facta, a deoq; diuinæ suæ gloriæ opera, uidelicet deuastationem regni Israel, Excæationem, & Reiectionem Iudaici populi ex omnibus diuinis beneficijs, & rursus clementissimam liberationem resipiscentium & piorum, per Prophetam Oseam manifestare, incipit inhonestissimè: iubet enim Prophetam ducere inhonestum & sordidum scortum. Sed quo consilio Deus hoc fecerit ex textu manifestè apparet. Ita enim inquit Dominus, quia fornicans fornicabitur terra post Dominum.

Hic mihi quæso cogita, quanto fauore Deus Israel suum amplectatur. Etsi enim beneficentia eius a deo non mouebatur, ut potius relicto, & contempto uerbo eius, Idolatriam sequerentur: tamen noluit eos improuidos abijcere & perdere, sed

Operum
Dei & mū-
di disci-
men.

sed quemadmodum pius paterfamilias omnem mouit lapidem, ut filium suum perditum ad meliorem frugem reuocet. Ita Deus nullis non medijs utitur, quo degeneres suos Israelitas ab impietate sua auellat. Vnde Prophetas suos non nudis tantum uerbis, sed adiectis uarijs signis, quò altius uerba eius memoria eorum infingerentur, ad eos misit. Ea enim quæ nudis tantum uerbis proponuntur, non admodum solent animos hominum afficere. Sicut ubi Dominus Esaiam nudis pedibus incedere, & ait. Sicut ambulauit seruus meus Esaias nudus & discalciatus, sic minabit Rex Assyriorum captiuitatem Aegypti, & transmigrationem Aethiopiæ, iuuenem & senem, nudum & discalciatum discoopertis natibus ad ignominiam Aegypti.

Prophetæ
cur signis
adiectis
missi.

Esaiæ 20.

Sic Ieremiæ præcepit Dominus, ut catenam collo gestet, quam deinceps mittat Regibus Moab, Edom, Amon, & Tyri, hisce uerbis: Omnia tradet Dominus in manus Nebucadnezaris Regis Babylonici. Quasi diceret, O uos increduli, & pertinaces Iudei: si non uultis adhibere fidem uerbis meis, quibus uobis suadeo deditioem, saltem his signis credite. Ecce enim, quemadmodum uidetis nunc me gestare catenam & uincula: Ita omnes gentes curuabunt colla sua sub iugo Regis Babylonici. Gens autem & Regnum quod non seruierit Nabuchodonozor, in gladio, & in fame, & in peste uisitabo, donec consumam eos in manu eius, dicit Dominus.

Ieremiæ 27.

Ita hoc loco Dominus mandat Osea, ut ducat fornicariam uxorem: hoc enim signo Dominus Deus noster populum Israeliticum uoluit admonere suæ fornicationis & Idololatriæ. Sensus igitur horum uerborum talis est. Quantum ego Dominus Deus uester experior, nulla uos incredulos & contumaces Iudeos honestas mouet meorum Prophetarum ad resipiscendum, moueat ergo uos inhonestas, Nec creditis uos tam longè à me recessisse per Idololatriam, agite ergo dabo uobis (quod dicitur) fidem in manum. Vade Osea, duc uxorem fornicariam, ut Israel saltem tuo facto, suæ fornicationis admoneatur, quia repleta est terra & uniuersum Regnum Israel spirituali fornicatione.

Et quemadmodum Deus Ioannem Baptistam, & Christum filium suum proposuit, diuersam uitæ rationem sectantes, ut si quis Ioanni, qui uinum & siceram non bibebat, sed durissimam in eremo uitam agebat, non crederet, Christo familia-

Propheta
non unius
modi cur
datur.

riter cum hominibus uiuenti adhiberet fidem . Sed quid dicam? Ioannem propter duriciem uitæ uocabant dæmoniacum: Christum propter familiaritatem, & humanitatem suam, uocabant, helluonem, & combibonem. Ita Deus olim populo suo uarios diuersaq; uitæ genera sectantes Prophetas proposuit, ne aliquo prætextu impietatem & incredulitatem suam excusare possent. Nam quosdam, ut Ieremiam & Ezechielem non tantum sacerdotali dignitate, sed etiam doctrina excellenti præditos, dedit: quosdam uerò, ut Amos, ex pastoribus indoctis excitauit in Prophetas. Idq; (ut diximus) hoc consilio, ne haberent, quo se excusarent. Cùm enim contemnerent doctorum Prophetarum conciones, dicentes ipsos non concionari ex Spiritu sancto, sed afferre sua somnia, quæ possent sua eloquentia ornare & plausibiliter proponere, statim proponebat eis Dominus indoctum pastorem Amos, nulla nec dignitate nec doctrina excellentem. Ac si dicere uellet. Si doctis Prophetis credere non uultis, fidem saltem adhibeatis uerbis indoctorum. Rursum cùm indoctos spernerent, ac inscitiam ipsis exprobrarent, dicentes, quis indocto pastori ouium reuelasset, quid nam esset agendum, confestim (ut ne hac quidem parte sese excusare possent) misit ad eos doctum, atq; omni uirtutum genere præstantem.

Similiter excitauit Prophetas partim honestas ducentes uxores, ut Ezechielem, partim cœlibes, ut si fortè quis non placeret propter contractum matrimonium, crederet saltem cœlibi & extra coniugium honestè uiuenti. Ac si ad impœnitentem populum dicere uellet. Si uos nulla honestas ad resipiscentiam mouit hæctenus, Agite moueamini nunc inhonestate. Et si non uultis per sapientiam agnoscere uestram Idololatriam, necesse habebitis nunc per stulticiam discere & cognoscere, quàm longè à me discefferitis. Vade ergo tu Osea, duc uxorem fornicariam, ut ex tua fornicatione populus suam spiritualem fornicationem cognoscat, quia repleta est terra fornicatione.

Fornicatio
ne significa-
tur Idolola-
tria.

Est autem ualde familiare in scriptura, quòd per fornicationem Idololatria significetur, ut Numè. decimo quarto, Filij uestri erunt uagi in deserto annis quadraginta, & portabunt fornicationem uestram. Deuteronomij trigesimo primo, Populus iste consurgens fornicabitur post Deos alienos, in terra, ad quam

quam ingredietur ut habitet in ea, ibi derelinquet me, &c. Et in Ezech. capite decimo sexto multis uerbis explicatur, quòd per fornicationem Idololatria intelligatur. Quemadmodum enim scortatores sese à suis legitimis uxoribus auertunt, & totos sese suis scortis ita addicunt, ut diu noctuque ea sectentur. Præterea omnes illos, qui eos à suis scortis auellere conantur, peius canent, & angue odiunt, & potius parentes, coniugem, liberos, & omnem suam substantiam relinquerent, quàm scortum desererent. Ita Idololatræ spirituales scortatores, cor à cultu uerbo Dei instituto prorsus auertunt, & alienos deos, hoc est, nouos cultus, quos ipsi in gloriam Dei finxerunt affectantur, Omnesq; illos persequuntur, qui ipsos ad uerum Dei cultum reducere conantur, imò adeo ipsis adhærent, ut potius uitam amitterent, quàm fictitios suos deos abijcerent.

Scortatores spirituales.

Tales scortatores fuerunt Israelitæ. Nam quod ad Deum attinet, adiunxit ipse sese huic populo per cultus diuinos, quos per Moſen seruum suum præscripserat. Ipsi uerò cùm starent in radicib. montis Sinai, sese Domino Deo nostro desponsarunt, cùm pollicerentur se omnia studiose facturos, quæcunq; Deus præcepisset. Sed postea derelicto sponso suo legitimo, fornicati sunt cum dijs alienis, hoc est, abiecerunt diuinos cultus, & adhæserunt uitulis aureis, quos Ierobeam in Dan & Bethel instituerat: seruiuerunt etiam gentium dijs Astaroth, Baal, Moloſch, Chamos & alijs quibusdam, constituendo eis hinc inde in lucis, in uallibus, & alijs amœnioribus locis sacella & excelsa. Eisque non frigido quodam affectu, sed tanto studio atq; deuotione adhæserunt, ut etiam Prophetas suos, ipsos ab his scortationibus & Idololatrijs auellere conantes, non tantum sint persecuti, sed etiam crudeliter trucidarint.

Sed dicis, quid hæc ad nos Christianos? Multum per omnem modum. Diximus enim Oſeam, non Iudæorum tantum, sed etiam nostrum esse concionatorem. Sed neminem, ais, iubet Dominus scortum in uxorem ducere? Respondeo, non oportet est, ut tale quid ad designandam nostram Idololatriam præcipiat Deus. Diabolus enim deus huius seculi, iam antea sub Papatu satis signorum, quibus satis superque nostra Idololatria adumbrata est, instituit. Nonne sacerdotes sub Papatu hæcenus instinctu Satanæ scortis cohabitarunt? Nonne & alij priuati,

Vxor legi-
tima Chri-
stianorum.

Scorta in-
ter Christi-
anos quæ?

derelicta legitima uxore cum scortis uixerunt? Quod certè satis signi fuit, homines legitimam, & ueram uxorem dereliquisse, & spiritualibus fornicationibus contaminatos esse. Quæ est igitur Christianorum legitima uxor, & quod nam est scortum eorum? Quod ad hoc nostrum propositum facit, Legitima uxor est uerus Dei cultus uerbo Dei mandatus, ut est Fides in Iesum Christum, Atque dilectio erga proximum. His enim in Baptismo desponsati sumus. Nam cum baptizaremur, promissimus Christo, quem induimus, nos præceptis & uerbis eius obsequium præstaturos. Hanc legitimam & honestissimam uxorem derelinquentes, sequimur scortum, quod est, Cultus citra uerbum Dei ex nostro beneplacito institutus. Sic Missa Papistica nobile scortum est, & sanè satis formosum, cui amatores sui, quorum magna est copia, ita adhærent, ut nullo uerbo Dei ab eo diuelli possint. Similiter peregrinationes ad diuorum statuas, & reliquæ Papisticæ foundationes atque cultus, extra Verbum Dei instituti, scorta illa sunt, quæ multos in interitum corporis & animæ conijciunt.

Etsi autem multi prædicatione Euangelij moti Papistica scorta illa reliquerunt, interea tamen non coniunguntur legitimæ uxori, sed sectantur alia æquè scelerata scorta, ut sunt Ebrietas, Auaritia, Adulterium, Inuidia, Odium, Impostura, Fœnus, & alia id genus scelera. Hi certè nullam habebunt excusationem, neque poterunt effugere futura mala: Sed si qui uoluerint uitare calamitates, necesse habebunt non solum repudiare Papisticum scortum, uerum etiam reliqua quæ enumerauimus scelera deserere, & sese rursus adiungere per fidem legitimæ uxori, Domino nostro Iesu Christo, per quem omnis salus, & liberatio à Deo Patre nostro cœlesti impetratur.

Cæterum hoc signum, seu mandatum Dei, de ducendo scorto in uxorem, potest etiam aliter intelligi, uidelicet, quòd Deus non loquatur de perpetrata, sed de perpetranda Idololatria populi Israelitici. Nam si quis uoluerit hunc locum secundum ueritatem Hebraicam interpretari, tunc potius de futura quàm de præterita, & iam opere ipso admissa Idololatria erit intelligendus, ut sit sensus. Age Osea, duc scortum in uxorem & procrea ex eo liberos fornicationis, quia terra fornicabitur post me, id est, derelinquent me Israelitæ, & prorsus à me deficient.

deficient. Ego uerò uicissim eos reijciam, ita ut abeant & alienis dijs seruiant. Hunc sensum uidentur confirmare uerba quæ in tertio capite postea sequentur, ubi inquit Deus, Filij Israel sedebūt sine Rege, sine Principe, & sine sacerdotio, &c. quasi diceret. Video hunc populum inebriatum præsentis rerum statu fœlici, existimare, fieri non posse, ut à me abijciatur, & alienos deos sequatur: perinde enim uiuunt, ac si me manibus suis captiuum tenerent, At ego eos prorsus abijciam. Mando igitur tibi ò Osea ut ducas uxorem fornicariam, ut hoc saltem signo, & indicio cognoscāt quòd sint abijciendi eo quòd fornicaturi sint cùm dijs alienis. Hæc bona quidem est sententia, sed quia apud Hebræos frequenter præteritum pro futuro sumitur, placet mihi sententia prior.

ET ABIIT ET ACCEPIT GOMER FILIAM DIBLAIM, QUÆ CONCEPIT ET PEPERIT EI FILIUM. DIXITQUE DOMINVS AD EVM, VOCA NOMEN EIVS IEZRAEL, QUONIAM ADHVC MODICVM ET VISITABO SANGVINEM IEZRAEL SUPER DOMVM IEHV, CESSAREQUE FACIAM REGNUM DOMVS ISRAEL.

ERITQUE IN DIE ILLA CONTERAM ARCVM ISRAEL IN VALLE IEZRAEL.

Obsequitur Propheta mandato diuino, & ducit in uxorem filiam Diblaim, nomine Gomer. Et ni fallor, maxima fuit Prophetae crux: potuisset enim inter ciues suos reperire puellam castissimã, aut uiduam honestissimam, quam in uxorem duxisset. Sed cogitur se cum inhonesto scorto coniugere, atq; eò grauior sine dubio hæc crux fuit, quòd antè ducendum fuerit scortum, quàm munus suum prophetandi aggredetur. Timendum enim fuit, ne potius hoc suo matrimonio inhonesto, uocationi suæ, & uerbo Dei obfuturus quàm profuturus sit. Prædicatoribus enim uerbi Dei melius est nomen Bonum, quàm unguentum preciosum: atq; summa est eis opera danda, ne sua fama mala offendiculum aliquod uerbo Dei præbeant. Quid igitur animi fuisse Osea putamus, qui hoc inhonestissimo suo matrimonio omnem suam famam, apud suos auditores coactus sit perdere? Dictum quidem est à Christo, Beati estis cùm probra iecerint in uos homines & insectati fuerint, & dixerint omne malum uerbum contra uos. Sed additur: Si mentiti fue-

Mādato di-
uino omni-
no obediē-
dum.

rint. At hoc probrum, quod ex Matrimonio scorti Oseæ obij-
ciebatur, non erat falsum, sed uerum, duxerat enim scortum, &
quamuis potuit se diuino mandato excusare, uidelicet, quod
Deus iusserit, An putas Israelitas credidisse? Non adhibebant
fidem legi Dei, miraculis confirmatæ, & crederent nudis uer-
bis, & turpibus factis Prophetæ? Sed quid faceret bonus Pro-
pheta? Deus mandabat, diuino igitur mandato obsequen-
dum erat, etiam periculo uitæ, & omnis honestatis. Præcipiente
enim Deo, pater & mater, soror, & frater, uxor, & liberi, & ani-
ma propria odio habēda, & resignanda sunt, nedum bona inter
homines fama. Oriat̄ sanè scandalum ex obedientia, uel non ori-
atur, quid tum postea? oportet ut obediamus Deo præcipienti,
siue placeat ueteri Adamo, siue non placeat, quid tum postea?

Mandabat Deus olim Patriarchæ Abrahamæ, ut filium suum
unigenitum mactatum offerret, erat quidem hoc Patri difficili-
le, Sed Deo mandanti non obedire, multo fuit difficilius & pe-
riculosius. Mandabat Deus Moyse, ut relicta aula Pharaonis, con-
iungeret se cum suis miseris, & oppressis fratribus Israelitis. Dif-
ficile autem est Relinquere Regnum, & sese paupertati expo-
nere, Sed aut obediendum est Deo, aut pereundum. Quia igi-
tur obedientia, summus cultus Dei est, Inobedientia autem in
æternum exitium ducit homines, promptè (ut par est) obsequi-
tur Oseas diuino mandato, & superatis omnibus tentationibus,
& offendiculis, ducit scortum uxorem.

Oseæ uxor
non māsit
fornicaria?

Cæterum, hic obseruandum est, quod uxor hæc fornicaria,
post nuptias non manserit impudica, sed quod uixerit in ma-
trimonio piè, & facta sit castissima. Et quod liberi eius fornicarij
dicantur, non quod ex fornicatione nati sint, sed quia ex matre
nati sint, quæ prius fuerat fornicaria.

Mulierum
impudica-
rū cur scri-
ptura men-
tionem fa-
ciat.

Sed quid sibi (inquis) uult, Quod nomen scorti hic tam
expressè ponatur, Cùm aliàs non sit scripturæ consuetudo, ut
muliercularum nomina sollicitè commemoret? Præsertim ue-
rò, non occupetur commemoratione sanctarum & honesta-
rum mulierum? Respondeo, libenter meminit Scriptura im-
pudicarum mulierum, quemadmodum uidemus etiam in Ge-
nealogia Christi apud Matthæum, In qua tres meretrices recitan-
tur, scilicet Thamar, Raab, & Berseba, nomina uerò honestissi-
marum matronarum reticentur. Videndum igitur quo consi-
lio

lio faciat scriptura. Et quantum quidem ad Genealogiam Christi attinet, commemorantur in ea nomina inhonestarum mulierum, ut sciamus Christum propter peccatores uenisse in hunc mundū, ut ipsos ad pœnitentiã uocaret, & saluos faceret. Quod uerò ad scorti illius quod Oseas duxit nomen attinet, ideo nominatur unã cum suo parente, ut certò sciamus, re ipsa ita contigisse, sicut Dominus Prophetæ mandauerat, Ne fortè quis existimet uisionem aut somnium fuisse.

Postquam autem concepit uxor Prophetæ Gomer, peperit ei filium, & uocauit eum iussu Dei Iezreel. Quid? quòd Deus ipse uocet nomen filij. Num impositio nominis alicuius est momenti? aut quid refert, siue quis hoc uel alio nomine uocetur? Prorsus nihil per se. Sicut. n. in Christo non est Iudæus, neq; Græcus, non mas neque fœmina, ita nihil refert siue hoc siue alio nomine uoceris. Cùm autem ipse Dominus nomen alicui imponit, certe ut aliquid significet oportet. Exempli gratia. Imposuit Deus per archangelum Gabrielem. Ioan. Baptiste suum nomen quo significauit fore hunc Ioan. gratiosum ante faciem suam: per eundem angelum imposuit nomen unigenito filio suo, & uoluit ut uocaretur Iesus, & addit ratio huius nominis, quia, inquit, saluabit populū suum à peccatis suis. Sic & impositio huius nominis Iezreel aliquid significat, id quod scriptura ipsa indicat, sequitur. n. Quia adhuc modicum (inquit) & uisitabo sanguinem Iezreel super domum Iehu, cessareq; faciam regnū domus Israel &c. ut hæc intelligamus, re uocanda erit in memoriã historia quæ de Achab & Iehu extat iij. Reg. xxj. Et iij. Reg. ix. & x. quæ sic se habet. Regnabat in Israel rex impius & idololatricus Achab, is à subdito suo Naboth Iezreelita petijt, ut sibi uineam suam, quæ erat regio palatio contigua, quantolibet precio uenderet, quia cuperet ex ea facere hortum olerū: negat se id facturum Naboth. Erat. n. cautum lege diuina, ne quis paterna sua bona alienis à sua familia uenderet. Rex non aliter quàm si suam omnem possessi onem amisisset perturbatus, domum redit ad uxorem suam tristis & furibūdus, respuensq; omnem delictiorem cibum. Isabel la uerò (hoc. n. erat nomē uxori) hortatur, ut magno sit animo, & moerore misso ad consuetam animi læticiam, & curam corporis redeat, Moxq; scriptis nomine regis literis, ad seniores urbis Iezreel, mandat eis, ut subornent uiros aliquot, nihil non ausuros,

Nomina
quæ Deus
ipse impo-
nit, signifi-
cant aliqd.

Historia
de Achab
& Naboth.

qui Naboth blasphemix in Deum, & factionis contra Regem reum agerent, ipsi uerò horum testimonijs conuictum & condemnatum, populo lapidandum obijcerent. Id quod ita, ut Regina præceperat, factum est à Senatoribus Iezreelitis. Igitur ubi Regi Achab de morte & interitu Naboth renunciatum esset, lætissimo animo inuadit hæreditatem, & uineam ad se rapit. Iratus autem Deus Eliam Prophetã uocat, & ad Regem ablegat, Is cùm obuium haberet Regem, mandato diuino hisce uerbis eum alloquitur: Hæc dicit Dominus Deus, quia fecisti hanc rem, occidisti Naboth, & possedisti ipsius uineam. Ecce eo loco, ubi canes linxerunt sanguinem Naboth, ibi lingent etiam tuum. Isabellæ uerò uxoris tuæ impijssimæ carnes deuorabunt canes in Agro Iezreel, Imò tota tua familia radicibus extirpabitur, & miserabiliter interibit: Omnes enim de genere, & domo tua, qui in urbe ceciderint, comedentur à canibus, qui uerò in agro occidentur, esca fient uolucris cœli. Hæc fuit diuinæ sententiæ adnunciatio. Mortuo igitur Achabo, excitat Deus Iehu (cum iam in regem unctus fuisset per Elizei Prophetæ puerum) in suæ sententiæ executorem, mandatque ei, ut omnem cognationem Achab interficiat. Iehu igitur obtemperans diuino iussui, primò omnium interficit filium Achab nomine Ioram in agro Naboth Iezreelitæ. Deinde præcipitat Isabellam de fenestra, ut comedantur carnes eius à canibus. Adhæc, obuium quemque de cognatione Achab trucidat. Postremò sacerdotes Baal, per insidias circumuentos laniat. Dixit itaque Dominus ad Iehu, quia studiose fecisti omnia quæ præcepi, Et fecisti domui Achab omnia, quæ erant in corde meo, filij tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel. Id quod ita ut Dominus promiserat est factum: quatuor enim de filijs Iehu ex ordine in Regno Israel inuicem successerunt. Primus fuit Iohaas, hunc sequutus est Ioas, post Ioas regnauit frater eius Ierobeam, sub quo Propheta noster Oseas incepit conditionari. Quartus uocatus fuit Zacharias, qui interfectus esse scribitur in seditione, quam mouerat Sallum alienus à familia Iehu. Hic enim eripuit Regnum ex manibus posteritatis Iehu.

Quod igitur Dominus hoc loco per Prophetam dicit, Adhuc modicum, & uisitabo sanguinem Iezreel super domum Iehu,

Iehu, hanc habet sententiam. Promisi Iehu progeniem regnaturam usque ad quartam generationem. Nunc autem quarta generatio in Zacharia complebitur, in quo uindicabo sanguinem Achab & cognationis sue, quem Iehu impio & crudeli animo in ualle Iezreel effudit, adhuc totum postea Regnum Israel deuastandum tradam Regi Salmanassari. Atque re ipsa declarabo me talem esse, qualem me Lex prædicat, uidelicet, quod peccata parentum uisitem in filijs in tertiam & quartam usque generationem.

Sed quomodo (inquis) conuenit, quod in libris Regum magna promittuntur Iehu propter obsequium, quod in interficienda cognatione Achab Deo præstitit, hic autem per Prophetam dicitur, quod Deus ulcisci uelit sanguinem illum mandato suo effusum, in tertia & quarta generatione? Respondeo, facta externa, quæ à Deo mandantur, & ab hominibus fiunt, duplici respectu consideranda sunt. Duplex etiam iudicium subeunt. Si enim considerentur & computentur iuxta mandatum Dei, semper bona sunt. Et si ex fide eius, qui exequitur mandata Dei, fiunt, similiter bona sunt. Quod si uerò iuxta animum & ex incredulitate factoris fiunt, mala sunt. Iuxta illud dictum Pauli, Quicquid non ex fide fit, peccatum est, etiamsi per se indifferens sit & Deo placeat. Exempli gratia. Præcepit Deus hominibus, ut dent pauperibus eleemosynam. Iam si respicias opus illud eleemosynæ iuxta Deum præcipientem, semper est bonum. Si autem respicias operantem, nunc bonum, nunc malum opus fit, prout est animus operantis seu bonus seu malus. Si enim quis largitur ex hypocrisi, atq; hoc animo, ut uideatur, & laudetur ab hominibus, impium erit opus, neque remunerabitur à Deo.

Aliud exemplum, deuastatio Hierusalem opus erat à Deo mandatum, & per Nebucadnezarem regem Babylonis exequendum. Si igitur ipsum opus computaueris ad diuinum mandatum, iustissimum & æquissimum fuit. Voluit enim Deus punire impietatem Iudæorum, Vnde apud Ieremiam capite xxv. Nebucadnezar seruus Domini uocatur. Sed quia hoc opus ab executeore factum sit sine fide, sine cognitione, & timore Dei, factum est opus pessimū, propter quod apud eundem Ierem. capite citato, Deus huic regi & subditis suis exitium minatur, di

Iehu factus
quomodo
& pius &
impium
fuerit.

Operum
ipsorum
ratio quæ?

cens: Cùm impleti fuerint septuaginta anni, uisitabo super Regem Babel, & super gentem illam iniquitatem eorum, & super terram Chaldæorum, ponamque illam in solitudines æternas, &c.

Idem dicendum & iudicandum est de facto Iehu. Vocatus enim erat à Domino, ut innocentem sanguinem Naboth ulcisceretur, occidendo totam familiam Achab, & omnes sacerdotes Baal. Iam si ipsum factum, quatenus à Deo mandatum fuerat, consideraueris, fuit sanè optimum, & æquissimum. Sed si perpenderit animum ipsius Iehu, fuit impijssimus: potius enim quæ sua sunt, quàm quæ ad gloriam nominis diuini pertinebant, quæsiuit, neque ex fide hoc opus fecit. Deus igitur hac priuata cupiditate, & impietate Iehu motus, minatur per Oseam posteris eius interuentionem.

Quòd uerò Iehu non ex fide mandatum Dei, de interficienda consanguinitate Achab sit executus, facile quiuis intelligere potest ex ijs quæ de ipso scripta sunt iij. Regum capite decimo. Ita enim ait scriptura. Porro Iehu non custodiuit, ut ambularet in lege Domini Dei Israel in toto corde suo, non enim recessit à peccatis Ierobeam, qui peccare fecerat Israel. Fecit enim Iehu quod de faceto quodam homine scribunt, qui ex singulis Monasticis ordinibus ad constituendum unum aliquem, seligere aliquid, quod placeret uolebat, interrogatus quis nam is ordo esset? Respondit. Ex ordine Bernhardinorum eligerem magnos caballos, quibus Abbates ipsorum uterentur. Ex ordine Benedictinorum magnos & bonos pisces, quibus illi uescerentur. Ex Ordine Canonicorum pingues præbendas. Ex ordine Carthusianorum tranquillitatem qua illi fruerentur. Ex ordine Franciscanorum deambulationes, quòd hi soleant aliquoties deambulandi gratia excurrere usque ad Hierusalem. Ex ordine uerò Dominicastrorum preces, quòd hi dicantur multo pauciores alijs preces recitare. Aut quòd facere solent nostro tempore multi, qui ex Papistica, & Euangelica religione aliquid seligunt & peculiarem quandam religionem constituunt. Ex Papistica. n. eligunt Missas. Ex Euangelica libertatem uescendi carnibus, & non amplius offerendi pecuniã. Sed hæc potius est impietas, quàm religio. Ita Iehu ex ueteri antecessorũ suorũ religione eligebat, & retinebat duos uitulos aureos, quos Ierobeã in Dan & Bethel constituerat,

Iehu nõ ex fide mãdato Dei obediit.

Iehu impietas in religione.

ex

ex noua uerò placebat, quòd Deus præceperat per Prophetam ut interfecta posteritate Achab, Regno eius potiretur. Sed hæc impietas summa fuit. Deus enim qui est zelotes, ferre non potest, ut quis iuxta se alienis dijs seruiat, decreuit igitur, se Regnum à posteris Iehu ad alios translaturum, & totum Regnum Israel hostibus dilacerandum & deuastandum traditurum.

Sed iterum hic mihi obijcis. Si Iehu peccauit impietate, & incredulitate cordis sui, Cur promisit Deus, se pro mercede huius operæ effecturum, ut filij eius solium Regni Israel teneant, usque ad quartam generationem? Respondeo, Quod patres familias facere solent, in conducendis mercenarijs, hoc & uerus Paterfamilias, Dominus Deus noster facere solet. Patres enim familias, si alicuius extranei, & mercenarij opera egent, conducunt eum mercede aut stipendio aliquo. Itaque si ille diligenter opus suum exequitur, non quidem adoptatur in filium, sed mercedem suam promissam, aut si multum, aliquid supra constitutum præmium accipit: quia autem extraneus est, non collocatur in hæreditatem Patrisfamilias. Ita et Dominus Deus noster, non suos domesticos & fideles, sed extraneos, & impios homines ad mandata sua exequenda uocans, promittit eis mercedem. Nam quia impij sunt, non agnoscuntur tanquam hæredes, Quòd uerò mandatum suum exequuntur, largitur eis mercedem Mercenarij, & à se aliò ablegat. Exemplis fit res illustrior. Ezech. uigesimo nono, uult Deus deuastare Tyrum, non autem utitur opera pij Regis Iuda, sed impij Regis Nebucadnezaris, & promittit ei pro mercede Regnum Aegypti dicens, Filij hominis, Nebucadnezar seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus Tyrum. Omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus est, & merces non est reddita ei, neq; exercitui eius de Tyro, pro seruitute, qua seruiuit mihi aduersus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego dabo Nebucadnezari Regem Babylonis in terra Aegypti, & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet spolia eius, & erit merces exercitui illius, & operi, quo seruiuit aduersus eam. Dedi ei terram Aegypti, pro eo quod laborauerit mihi, ait Dominus Deus. Vides Regem Babylonis propter deuastationem Tyri à Deo accipere quidem præmium & mercedem, non autem adoptari in filium, quia non ex uera fide,

Deus eorum
impiorum
opera utatur,
remunereturq.

sed ex ambitione & libidine regnandi hoc opus perfecerat. ij. Pa-
ralip. ultimo, ut Esdræ primo.

Præcipit Dominus Deus, cum iam septuaginta anni cap-
tiuitatis Babylonicæ essent finiti, Cyro Regi Persarum, ut dimit-
tat populum Iudaicum, & faciat ei copiam, non tantum in ter-
ram suam redeundi, uerum etiam restaurandi templi & urbis.
Sed ut promptius huic diuino mandato obediret, promittit ei
Deus mercedem, quemadmodum testatur Esaïæ xlv. Ita enim
ait: Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cuius apprehendi
dexteram, ut subijciam ante faciem eius gentes, & dorsa Regum
uertam. Et aperiã coram eo ianuas, & portæ non cludentur.
Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo. Iterum audis ma-
gna quidem Cyro pro liberatione populi Iudaici promitti,
non autem adoptari ipsum in filium, propterea, quod non ex
uera fide & cognitione Dei fecerit.

Operum si-
ne fide fa-
ctorum ra-
tio.

Faciunt & Hypocritæ Bona opera. Largiuntur pauperibus
elemosynas, orant, ieiunant. Etsi autem sine fide hæc opera fa-
ciunt, nihilominus tamen Deus ipsis tanquam mercenarijs suis,
dat mercedem, uidelicet laudem coram hominibus: hac autem
accepta, non est quod aliquid insuper à Deo expectent. Sic de
Iehu quoq; dicendum. Conduxit enim Deus ipsum tanquam
mercenarium, ad delendam familiam impij Regis Achab, & de-
dit ei mercedem, uidelicet Imperium Regni Israelis, usque ad
quartam generationem. Nihilominus tamen reseruat sibi De-
us impietatem & Idololatriam Iehu suo tempore punien-
dam, quemadmodum nunc quidem per Propheta minatur,
postea uerò, per Sallum filium Iabes, Regnum à posteris Iehu
abstulit. Sallum enim interfecto Zacharia abnepote Iehu, re-
gno Israelis potitus est, & secuta est deinceps uniuersi Regni de-
uastatio. Ita enim ait Propheta, Vindicabo sanguinem Iezreel su-
per domum Iehu, & quiescere faciam Regnum domus Israel, Et
in die illa conteram Arcum Israel, id est, potentiam Regni Israe-
lis in ualle Iezreel (hoc est, in terra Israel: more enim Sacræ scri-
pturæ, pars pro toto accipitur.) Et testatur lib. iij. Reg. cap. deci-
mo septimo, hoc Oseæ uaticinium de deuastatione Regni Israel
per Salmanassarem Regem Syriæ postea esse impletum.

Hoc autem loco iterum uidemus, Dei sapientiam abscon-
di in insipientia. Vide enim mihi quæso, An non potens, & admi-
randum

randum factum erat, quòd Zacharias Rex potentissimus deberet occidi, & totum regnum deuastari? Hoc factum autem significabatur per filium scorti. Quis igitur hæc mirabilia facta Dei non summè admiraretur? Et sanè mundus dignus est hac eruditione. Non enim uult erudiri sapientia Dei, cogitur ergo eum discere per insipientiam.

Sapientia
Dei in insipientia absconditur.

Sed quid, inquis, ad nos Christianos factum Iehu & deuastatio Regni Israelis? Multum per omnem modum: nam si non eadem, certè similia & paria facta apud nos reperiuntur. Superioribus annis, uidimus seditionem Rusticorum, uidemus & hoc tempore Anabaptistas, partim gladio, partim uerò igni necari. Et si autem negari non potest, quin Magistratus ex officio diuini tibi mandato debuerit pro conditione illorum temporum seditioni summis uiribus resistere, quemadmodum & ipsi Iehu diuinitus mandatum erat, ut funditus stirpem Achab deleret. Negari etiam non potest, quin seditiosi Rustici merito (quemadmodum sacerdotes Baal) sint occisi. Sed quales rogo illi sunt, qui poenas à seditiosis sumpserunt? Sicut enim Iehu non ex fide & uero timore Dei, sed potius ex cupiditate priuati sui commo- di, posteritatem Achab deleuit. Ita maxima pars Magistratum, seditioni non ex uera pietate, sed ex priuata libidine uindictæ restiterunt, & multa millia multis in locis crudelissimè trucidauerunt, atque (quod res ipsa indicat) post impetratam contra seditiosos uictoriam, multò quàm antea deteriores & nequiores facti sunt. Clamat ergo sine dubio sanguis ille in seditione effusus ad cælum, & non cessabit, donec Deus crudelitatem Magistratum, seu animum uindictæ cupidissimum, punire & uindicare inceperit. Semel tantum miseri Agricolaë peccarunt, & tamen seuerissimè sunt puniti. Non est ergo, quòd existimes Deum hisce impijs Magistratibus, qui omni genere crudelitatis & impietatis sordidati sunt, parsurum: imò si hoc in uiridi factum est, quid putas futurum in arido ligno? Et cum Deus non siuerit in ultimum animum crudelem Regis Iehu, etiamsi iussu suo interfecerit familiam Achab: Multò minus parcat Magistratibus gerentibus animos uindictæ cupidissimos, etiamsi Rustici ipsi iure sint interfecti. Non aliter ergo Magistratus nostri hanc comminationem Osæ accipiant, quàm si ipsos quoque hoc tempore alloqueretur, dicens: Vindicabo sanguinem Rusticorum

Rusticana
seditio. Anno
1525.

Crudelitas
in agricolas
seditiosos, col-
lata cum
crudelitate
Iehu.

interfectorum super domum Magistratum. Et cessare faciam Regnum eorum.

De Anabaptistis.

Anabaptistarum alij antesignani, alij simpliciores.

Occiduntur nunc multis in locis Anabaptistæ. Etsi autem negari non potest, quin Anabaptismus sit error crassissimus, impiissimus, atque omni hypo crisi refertissimus. Tamen quatenus non habet adiuncta externa, crassa & notoria scelera, non licet magistratui gladio carnali in eum sequi, sed relinquendus est gladio spirituali, hoc est, uerbo Dei arguendus & puniendus. Sed uide quæso, quid fiat? Miseri & simplices homines propter Anabaptismum conijciuntur in carceres, torquentur, & denique ad mortem condemnantur, ab illis ipsis qui nondum didicerunt, quid sit Baptismus, ne dum quid Anabaptismus sit intelligant, Et quod plus est, Qui duplo, uel triplo deteriores sunt ipsis Anabaptistis, quippe qui non solum una, aut altera, sed multiplicibus hæresibus, & falsis opinionibus sunt infecti. Procul dubio ergo, sanguis ille effusus, horribili sonitu cælum & uersam Germaniam replebit. Non loquor nunc de corypheis, & Antesignanis Anabaptistarum, qui suo Anabaptismo multa aliquid alunt, atq; turbas mouere conantur. Nam cum nulla Religio adeo sit sincera, in qua non reperiantur nebulones, mirum non est, si Anabaptistica Religio, quæ (ut dixi) per se falsa, atque Hypocritica est, multos nebulones, & spiritu sedicioso agitato habeat admixtos. Horum condemnatio iusta est, neque est quod de Magistratus seuera animaduersione conquærantur. Sed de simplicioribus loquor, qui non malicioso animo, sed communi errore & falsa persuasionem decepti, Anabaptismo non tamen dedere. Nunc autem passim sine omni discrimine, tantquam proditores patriæ crudelissimè, ab impijs illis, & execratis hominibus, qui ipsi non melius de religione quàm Anseres de hora meridiei (ut habet germanicum prouerbum) iudicare possunt, trucidantur. Non igitur (inquam) impunè ferent hanc suam crudelitatem. Sed quemadmodum Oseas domui Iehu interuentionem minatur. Ita Dominus Deus noster impios illos & sanguinarios per Prophetam compellat, dicens. Adhuc modicum & uindocabo sanguinem miserorum Anabaptistarum, & finem faciam Regni eorum, qui sœuire in miseros non cessant. Resipiscamus ergo in tempore, certissima. n. nostris ceruicibus impendent mala, neque speranda est melior fortuna. Ah quàm uellem

uellem, (quemadmodum Micheas loquitur) ut ista prædicans, & uaticinans uir uanus & mendax essem. Sed profectò uereor, ne uera prædixerim. Deus optimus maximus nostri misereatur, & suo auxilio nobis non desit, Amen.

ET CONCEPIT ADHVC ET PEPERIT FILIAM, ET DIXIT EI: VOCA NOMEN EIVS, ABSQVE MISERICORDIA, QVIA NON ADDAM VLTRA, VT MISEREAR DOMVS ISRAEL, SED OBLIVISCENDO OBLIVISCAR EORVM. AC DOMVS IYDA MISEREBOR. ET SALVABO EOS IN DOMINO, AC NON SERVABO EOS IN ARCV, ET GLADIO, ET IN BELLO, ET IN EQVIS, ET IN EQVITIBVS.

Multo constat labore, & impendio, ut hypocritam ad cognitionem suorum peccatorum ducas. Ita multo labore constat ut Israelitæ persuadeantur, se à Deo abijciendos esse, & per Regem alienigenam abducendos & exterminandos esse. Siquidem Deus confœderauerat sese cum hoc populo, cuius fœderis signum gestabant in carne circumcisionem. Adhæc uocauerat ipsum primogenitum, dicens, filius meus primogenitus Israel. Præterea tradiderat eis peculiare Regnum, exterminatis ab ipso Iebuseis & Cananæis, unde putabant fieri nullo modo posse, ut quisquam eos è Regno, à Deo multis miraculis tradito, proturbare posset. Proinde aliud deuastationis signum hoc loco à Deo adijcitur, si quo pacto fieri posset, ut futuræ calamitatis admoniti, ad Resipiscenciam festinarent, & se ad futuram deuastationem præpararent. Concepit enim iterum uxor Oseæ, & peperit ei filiam. Sicut ergo Deus in filio Oseæ prius compatrem egit, & ei nomen imposuit, ita & nunc in filia compater fit, & iubet, ut uocetur **NON MISERATA**, & addit rationem huius nominis, quia (inquit) ultra non miserebor domui Israel, sed deuastatione deuastabo eos, & auferam ab eis omnem meam misericordiam. Paulò antè beneficium eis Deus contulerat per Regem Ierobeam, qui restituit Israelis terminos ab Emath usque ad mare solitudinis, Quemadmodum testatur quartus Regum decimo quarto. Nunc uerò (ait Dominus) reuocabo omnia mea beneficia, & ultra nihil eis præter mala, & deuastationes inferam. Quo enim (ut uideo) maiora beneficia eis confero, eo deteriores & obstinatioris redduntur, existimantes

Hypocritæ
conuersio
perquàm
difficilis.

Filia Oseæ
NON MI-
SERATA.

impios suos cultus causam esse omnis suæ felicitatis.

Primùm admirabimur Audaciam & constantiam Prophe-
tæ Oseæ in habenda hac concione, quòd in nomine Dei san-
ctissimo huic populo tam liberè, tam aperto Marte, omnem
misericordiam & gratiam denegauerit. Sanè, si ioco hanc conci-
onem acceperunt, necesse habuit plurima ferre ludibria: sin ue-
ro seriò, necesse habuit subire discrimen uitæ, & omnium sua-
rum rerum. Exemplum igitur fidei in ipso habemus, ut libe-
rè & aperta fronte Christum confiteamur, siue rideamur, siue
malis à mundo afficiamur, usque in diem illum, qui soli Deo
cognitus est.

Osea exem-
plum fidei.

Deinde uidemus grauitatem iræ Dei & minarum eius pon-
dus, non enim frustra minatur. Nam quod hoc loco Regno Is-
raëlis minatus est, hoc statim re ipsa euenit post Zachariam Re-
gem Israelis, qui fuit ultimus de stirpe & familia Iehu. Illo enim
occiso uariæ seditiones in Regno Israel oriebantur & subinde ma-
gis magisque ad interitum uergebat. Alius Rex alium interficie-
bat. Sallum enim occidit Zachariam, deinde Sallum interficie-
batur à Menahem. Mox Pekah trucidabat Pekahia filium Mena-
hem, paulò post Rex Osea necabat Pekah, quem admodum scri-
bitur quarto Regum decimo quinto. Et (ut breuiter dicam) La-
niena perpetua inter Reges fuit, donec aduentante Salmanassa-
re rege Assyriorum totum Regnum desolatum sit. In nunc & dic
Dei minas esse uanas.

Iræ & Mina-
ræ Dei gra-
uitas quan-
ta.

Zacharias
rex, ulti-
mus de Ie-
hu.

Sic nunc minatur Deus Adulteris, Idololatriis, Furibus, A-
uariis, impostoribus, Ebrijs, Rapacibus, maledicis, &c. æternam
damnationem, dicens, Qui talia agunt Regni Dei hæreditatem
non accipient. Etsi uerò homines uanas esse hasce minas existi-
mant, dicentes, Diabolum non esse tam atrum, quemadmo-
dum pictores ipsum solent pingere: neque Infernum tam esse
ardentem, quemadmodum sacrificuli prædicant, tamen hoc
loco uidemus grauitatem iræ Dei. Cælum & terra (inquit Chri-
stus) transibunt, uerba autem mea non peribunt. Iam & iræ Dei
grauitas tanta est, ut propter peccatum non parcat posteritati
Abrahæ, quanquam sese ipsi promiserit totum, cum omnibus
suis bonis. Non est autem ullus, uel totus populus, uel priuatus
homo, qui gratior Deo sit, quam olim fuerit semen Abrahæ,
proinde nullus peccator Resipiscenciam contemnens, meliora
sibi

sibi polliceatur, imò longè illis atrociora expectet. Sed pergamus in textu.

ET DOMVI IYDA MISEREBOR.

Quid hoc? Nonne, & ipse Iuda æquè peccauit, ac Regnum Israel: ambulauit enim in uijs Idololatriæ Israelis, quæ admodum testatur liber quartus Regum cap. decimo septimo? Cur ergo Israel desolatur, Iuda uerò incolumis permanet? Respondeo, planè similia erant peccata utriusque regni, Sed hoc erat discrimen, Quòd multis Prophetis in Israel prædicantibus, nullus profus esset qui resipisceret, sed potius Prophetas, adnunciantes uerbum Dei, contemnerent, quemadmodum testatur Amos capite septimo. In Iuda autem cum cœpisset regnare Hiskias, & prædicaret Esaias unà cum reliquis collegis suis, sequebatur Resipiscentia, quemadmodum scribitur quarto Regum decimo octauo, & secundo Paralipo. uigesimo nono. Hiskia enim primo anno, & primo mensè Regni sui, Idololaticos cultus abrogauit, sustulit excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos, confregitque serpentem æneum, quem fecerat Moses, Reformauit autem ueros cultus uerbo Dei præceptos. Quare & si Saneherib, deuastato iam Regno Israelis, Ierusalem Metropolim Regni Iuda obsideret, tamen summo dedecore & ignominia nominis sui coactus est discedere, & permansit Regnum Iuda incolume.

Regni Isra-
el & Iuda
discrimen.

Mirabile autem est in oculis nostris, quòd uno Regno de-
uastato, alterum saluum manserit, præsertim cum hostes & il-
lud summis uiribus inuasissent. Sed uoluit Deus per hæc duo
Regna toti mundo spectaculum exhibere, quòd sit Deus per-
dens obstinatum & ad monitionem suam non resipiscentem,
defendens autem ac liberans Resipiscentem, obstinato, quan-
tum ad impietatem attinet, similem. Ita enim ait, domui Iuda
misererbor. Sed quomodo? Saluabo eos in Domino Deo suo,
nō in arcu, gladio, equis, & equitib. Quod impletum est, cum in
Iuda Hiskia rerum potiretur. Et si enim sexto huius Regis anno
Assyriorum Rex deuicisset, & abduxisset Israelem, tamen Re-
gnum Iuda saluum & incolume diuinitus conseruatum fuerat.
Et quanquam anno decimo quarto Hiskia, Saneherib summis

Regnum Is-
rael & Iu-
da quid
præfigu-
rent.

uiribus, atque collecto omni suo exercitu Hierusalem obsidio-
 ne cinxisset, certa spe concepta, quòd cum alij aliarum genti-
 um dii sibi resistere non potuerint, fieri non posse, ut urbs Hie-
 rusalem potentia suæ resistere possit. Tamen cum iam uicisse, &
 ciuitatem expugnasse propemodum sibi uideretur, misit Deus
 Angelum in castra eius, qui noctu occidit centum octoginta
 quinque millia uirorum, quo casu Rex perterritus, turpi fugasi-
 bi salutem quæsiuit. Hoc illud est, quod dicit: Saluabo eos in
 Domino Deo suo, hoc est, liberabo eos non in fortitudine eo-
 rum, neque in gladio, equis, aut equitibus, sed mirabili, atque
 cœlesti modo, non quòd hanc liberationem meriti sint sua iu-
 sticia, & pietate, æquè enim peccatores sunt & Idololatæ, ac
 Israëlita, Sed partim ideo, quia admoniti uerbo Dei, abiece-
 runt Idololatriam, & in afflictionibus suis promissionibus di-
 uinis crediderunt, atque ex uera fide Deum inuocauerunt, si-
 cut scriptum est quarto Reg. decimonono capite. Partim ue-
 rò, ut Deus gloriam nominis sui tueretur. Nam Rabšaces Regis
 Assyriorum archipincerna, cum iam urbs Hierusalem obsessa
 esset, Legatis à Rege Hiskia ad ipsum missis dicebat: Hæc renun-
 ciate Regi uestro. Non est quòd seducas populum tuum & di-
 cas, Eruens liberabit nos Dominus, non dabitur ciuitas ista in
 manu Regis Assyriorum, Nunquid liberauerunt dii Gentium
 unusquisque terram suam de manu Regis Assyriorum? Quis
 est ex omnibus dijs terrarum istarum, qui eruerit terram suam
 de manu mea, & eruat Dominus Hierusalem de manu mea?
 Cum igitur Deus has blasphemias audiret, & intelligeret impi-
 um hunc Ethnicum se cum dijs gentium conferre, atque nunc
 periclitari gloriam nominis sui, ecce mittit Angelum in castra
 Assyriorum, qui una nocte interficit centum octoginta quin-
 que millia, hoc nimirum miraculo asseruit Deus gloriam sui no-
 minis, quemadmodum quarto Reg. decimonono dicit, prote-
 gam urbem hanc & saluabo eam propter me, & propter Dauid
 leruum meum. Si enim hoc tempore Deus hanc urbem & po-
 pulum suum deseruisset, primò quidem malè apud gentes au-
 diuisset, nam dixissent, ipsum esse impotentiorum, quàm qui
 potuerit in necessitate populo suo subuenire. Deinde ipse po-
 pulus paulatim cœpissent diffidere promissionib. & ipsum men-
 dacij arguissent. Quare suscipit Regnum Iuda defendendum,
 non

Gloriâ no-
 minis sui
 quare Deus
 defendat.

non in arcu, neq; gladio, sed (ut diximus) mirabili modo, ut retineat gloriam diuini sui nominis, atq; hæc quidem de hac liberatione regni Iuda.

Similiter postea absq; gladio & arcu liberauit populum Iuda ex captiuitate Babylonica per Cyrum regē Persarum, qui ipsos liberos & multis donis dimisit, atq; mandauit, ut restaurarent suam urbem & templum. Præcipue autem uerum & spiritualemente Iudam per Christū filium suum liberauit. Quæ liberatio pulcherrimè adumbrata est per liberationem Hiskie. Quemadmodum enim crudelissimus tyrānus Saneherib, sine omni humano auxilio siue (ut Propheta loquitur) absq; gladio & arcu, equis & equitibus repulsus est à Ierusalem. Ita Dominus noster Iesus Christus non quidē gladio, arcu, & alijs bellicis armis, sed sola sua passione cruce & morte, crudelissimum tyrannum Satanam unā cum omni suo exercitu, nimirum peccato, afflictione, morte & inferno ita deuicit & profligauit, ut deinceps summo cum dedecore, & intantia, omnes credētes in Christū saluos & incolumes relinquere necesse habeat. Deinde cum Oseas dicat, Dominum liberaturum & saluaturum Iuda, non in gladio, arcu, aut equitibus, sed in Domino Deo suo, atq; hæc liberatio temporibus Hiskie facta sit, discamus nos, ut in omni afflictione & aduersitate Dominum Deum nostrū ex uera fide inuocemus, & certò statuamus nō esse opportunius tempus orandi, quàm cum aduersis cruciamur. Et tunc maximè omnium orandum cum afflictiones nobis minantur exitium: quo enim aduersa sunt grauiora, & quo magis externo & humano auxilio destituimur, eò propior solet Deus nobis adesse, & opem suam offerre, ut nos in periculis clementer seruet. Vide enim mihi exemplum Regis Hiskie. In summo enim discrimine uersabatur. Non habebat secum in urbe magnum exercitum, deficiebat eum cum suis commensus, atque destitutus erat omni humano auxilio. Contra uerò Rex Assyriorum innumerabili exercitu non tantum urbem obsidebat, uerum etiam subditos Hiskie ad defectionem sollicitabat promittens eis libertatē, & fertiliorem regionem, quàm esset ipsorum. Quid igitur faceret Rex Hiskias? Traderet ne hosti ciuitatem? At deditionem Propheta Esaias de mandato Dei dissuaserat. Defenderet ne urbem? Sed non poterat potentie & exercitui Assyriorum resistere, neque propulsare

Liberatio
per Christi-
tum par-
ta, adumbrata
est per li-
berationē
Hiskie.

Orandum
quando po-
tissimum.

Hiskie ex
emplo, ex
fide perfe-
uerādum
in uocatio-
ne Dei.

hostem à mœnibus ciuitatis. Quid ergo fecit? Respexit ex fide uera in promissiones diuinas, quibus recepit Deus, se omnes ipsum in aduersitatibus, & tribulationibus inuocantes, liberaturum. Atque ex hac fide inuocauit Dominum Deum suum: liberatus est ergo mirabiliter, & quo periculosiori in loco resipius fuerant, eo maior postea fuit liberatio: Nam sine gladio & arcu saluauit ipsum Dominus. Reponamus ergo hoc exemplum alta mente, Et discamus inde, ut & nos in omni tribulatione perseueremus in uocatione Dei, & expectemus ex uera fide de manu Domini Dei nostri auxilium: Vocatur enim Auxiliator in Necessitatibus, & quamuis interdum soleat conuiuere ad pericula, donec nullum amplius appareat auxilium, tamen quo maior est afflictio, eò propior nobis adesse, & opem maiorem nobis uult ferre.

Iudaici populi cū populo Christiano collatio.

Cæterum, Quemadmodum Iudaicus populus in duobus olim Regna fuit diuisus, quorum alterum Regnum Iuda, alterum uerò Regnum Israel uocabatur, Dominus autem per Oseam dicat, Regni Israelitici non miserebor, Iuda autem saluabo in Domino Deo suo, non in arcu & gladio & in bello &c. Ita hoc nostro tempore Christiani in duos populos diuiduntur. Prior uocatur Papisticus, qui non solum uerbum Dei contemnit, uerum etiam omnes illos, qui ipsum ad meliorem frugem ex uerbo Dei hortantur, persequitur, & interficit, neque ullis uel minis, uel exhortationibus mouetur, sed (ut dicitur) Oleum & opera in eo pereunt, neque spes ulla est Resipiscentiæ eius relicta. Cùm igitur nihilo melior sit Regno Israelitico, atque in eodem luto hæreat, facile quiuis etiam medico ingenij intelligere potest, ipsum unà cum Regno Israelitico periturum, Et quòd uerba Prophetæ Oseæ, (Non addam ultra misereri domui Israel) æquè ad Papisticum populum pertineant, ac ad Israeliticum Regnum.

Alter uerò populus, uocantur Euangelici, non illi, qui tantum ideo Euangelici sunt, ut liceat ipsis die ueneris carnibus uesci, aut ad se rapere bona Ecclesiastica, atque in prophanos usus uertere, sed qui ex prædicatione Euangelij resipiscunt, & abiectis impijs Papisticis cultibus ueram obedientiam & cultus diuinitus mandatos restaurant. Et si autem hi olim unà cum Papistis peccarunt, & omne genus Idololatriæ designarunt,

designarunt, tamen cum nunc ex prædicatione Euangelij uitam suam emendent, & nitantur clementi promissione Dei, condonabit ipsis Deus peccata eorum, & liberabit eos ex omni aduersitate, adeoque in ipsa morte conseruabit eos ad æternam uitam. Et quemadmodum ad Regnum Iuda ait, Miserebor domui Iuda &c. Ita promittit suam Misericordiam & clementiam omnibus ijs, qui credunt Euangelio, & ex uera fide uocationi ipsius obediunt.

ET ABLACTAVIT EAM, QUÆ ERAT ABSQVE MISERICORDIA, ET CONCEPIT ET PEPERIT FILIVM, ET DIXIT, VOCA NOMEN EIUS, NON POPVLVS MEVS, QVIA VOS NON POPVLVS MEVS, ET EGO NON ERO VESTER DEVS.

Antea per filiam, NON MISERATAM, de corporali deuastatione dictum est, quæ completa est per Regem Assyriorum. Nunc uerò per filium, qui uocatur NON FILIVS MEVS, prophetatur de spirituali reiectione & excæcatione Israelitarum. Ita enim ait Dominus ad Oseam, Voca filium tuum recens natum, Non populus meus. Ratio: Quia uos non estis populus meus, & ego non ero Deus uester.

Sed sine dubio mirabilis & incredibilis hæc fuit concio in auribus auditorum Oseæ. An non Deus Abrahamæ promisit se fore Deum huius populi: Ita enim Gene. xvij. dicit, Ego ero Deus tuus & seminis tui post te. Et ipse erit populus meus: Cur ergo Oseas nunc inuertit, dicens: Non eritis amplius meus populus, neque ego ero Deus uester. Quasi diceret: Quemadmodum Israel ex omnibus corporalibus bonis terræ eijcietur & captiuus abducetur per Regem Assyriorum. Ita abijcietur etiam ex omnibus spiritualibus & cœlestibus bonis, & priuabitur omni clementia & misericordia Dei, neque consequetur æternam felicitatem. Et hæc est longè omnium maxima afflictio, neque potuisset Israeli maior accidere. Etsi enim auferuntur ab homine externa, & corporalia, ut sunt, potentia, Regnum, diuitiæ, sanitas, & libertas. Adhuc tamen tolerabilis est afflictio, modò ut maneat Christus, in quo, & per quem, quod foris aufertur, intus per fidem redditur, sicut Christus ipse apud Matthæum capite decimonono ostendit. Ast ubi Christus per incredulitatem amittitur, hic iam nullus relinquitur

Afflictionis
maxima
quæ?

consolationis, aut salutis locus, etiam in maxima rerum abundantia. Quare tunc demum Iudaicus populus extremæ miseriæ obiectus fuit, cum omnibus flagitiorum generibus sordidati Christum contempserunt & crucifixerunt, quia contempto Christo, repulerunt à se omnem misericordiam, & clementiam Dei. Ita ut non amplius sint populus Dei, neq; Deus ipsos ultra respiciat. Hæc autem omnia nobis qui ex gentibus sumus, dicta & scripta sunt. Dicit enim Paulus Romanorum no. Si Deus naturalibus ramis non pepercit, qui fieri posset, ut (cum eadem peccata cum Israelitis designamus) nobis infiticijs ramis parceret. Respiscamus ergo, ne & nos unà cum Iudæis à Deo abijciamur.

CAPVT II.

ET ERIT NUMERVS FILIORVM ISRAEL QVASI
ARENA MARIS, QVÆ SINE MENSURA EST,
ET NON NUMERABITVR. ET ERIT IN LOCO
VBI DICETVR EIS, NON POPVLVS MEVS VOS,
DICETVR EIS, FILII DEI VIVENTIS.
ET CONGREGABVNTVR FILII IVDA ET FL
LII ISRAEL PARITER, PONENTQVE SIBI CAPVT
VNVM, ET ASCENDENT DE TERRA, QVIA MAGNVS
DIES IEZRAEL

Præsumptio. Posset enim quis obijcere, si Dominus nullam amplius misericordiam Israeli vult exhibere, & omnino actum erit cum hoc populo, ubi manebit veritas promissionis Abrahamo factæ? Statuam (inquit Deus ad Abrahamum) pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te, in generationibus suis, FOEDERE SEMPITERNO, ut sim Deus tuus, & seminis tui post te. Et in psalmo nonagesimo tertio: Non repellet Dominus plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet. Respondet ergo Oseas dicens, & erit numerus filiorum Israel sicut arena maris, quæ sine mensura est, hoc est, Concionatus quidem antea sum, quod Deus prorsus reijcere uelit populum Israel, neque amplius illius miserturus sit. Sed hoc nemo ita intelligat, ac si foedus Dei irritum, atque mendax fieri possit, permanet enim Deus uerax, etiamsi homines pactum infringant, & mentiantur.

Et quia priora dicta promissionibus contraria uidentur,

uidentur, uidendum erit, quomodo inter se conueniant. Est igitur semen Abrahamæ, duplex, Carnale uidelicet, & Spirituale, sic enim Ioannes Baptista distinguit cum dicit, Ne dicatis intra uos, Patrem Abraham habemus, potens enim est Deus de lapidibus hisce suscitare filios ipsi Abrahamæ. Et Christus Ioannis octauo. Si essetis filij Abrahamæ, opera utique Abrahamæ faceretis. Apertissimè autem Paulus in Epistola ad Romanos capite nono. Non omnes qui sunt ex Israel, sunt Israel, Neq; quia sunt semen Abrahamæ, statim & filij, Sed in Isaac uocabitur tibi semen, hoc est, Non sunt filij Dei, qui secundum carnem filij sunt, sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. Et Galatas tertio, Qui ex fide sunt, hñ sunt filij Abrahamæ.

Abrahæ se
mè duplex

Proinde, cum statuit Deus pactum cum Abrahamo, & semine eius, quòd uidelicet uelit esse Deus eorum, & eos multiplicare sicut arenam maris, atque hæreditatem suam non repellere, Initio quidem intelligendum est de carnali semine, quod Deus iuxta promissionem multiplicauit sicut stellas cœli, & arenam maris, nec unquam in totum repulit, etiamsi nonnunquam grauiter afflixerit, usque ad uerum semen, qui est Dominus noster Iesus Christus, de quo Deus ad Abrahamum dixit: In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Tunc enim uerè impletum est pactum Domini cum semine Abrahamæ. Nam prior illa carnalis impletio, quid quæso magni momenti in se continet? Nonne & Gentes multiplicatæ sunt? Et alicuius populi carnalis multiplicatio, non liberat à morte, non à peccato, non ab inferno, neque rebus nostris usque adeo consultum est, etiamsi descendamus à præclara familia. Vera igitur impletio facta est in Aduentu Christi filij Abrahamæ, quando multi ex Iudæis & Gentibus maxima & innumera multitudine ad Christum festinarunt, & filij Abrahamæ, imò filij Dei, per fidem in ipsum facti sunt, siquidem (ut Paulus scribit) filij Abrahamæ sunt, qui ex fide nati sunt.

Respondet ergo Oseas obiectioni dicens. Etsi Dominus Deus noster carnalem Israelem abijciet, nemo tamen ideo existimet ipsum fore mendacem. Nihilominus enim numerus filiorum Israel erit sicut arena maris. Sed quando (inquis) hoc fiet? Tunc nimirum fiet, quando Gentes & Iudæi maxima multitudine ad Iesum Christum festinabunt, & ipsum uera

Abrahæ filios non in arctum cōstringi.

fide suscipient. Nam tunc demum fient ipsi ueri filij Abrahæ, & Israelitæ, cum crediderint in filium Abrahæ, Christum, & agnouerint Regem Israel, qui est Christus Iesus Dominus noster. Noluit enim Deus in tam arctum constringi, quod tantum è carnali semine Abrahæ filios Dei sibi eligere uoluerit. Et elegit quidem filios Dei communiter è carnali Israel, ante aduentum Christi, Sed uoluit Deus, ut post Christi filij sui aduentum, & exaltationem, electio filiorum Dei etiam ex gentibus quoque fieret, ut quemadmodum antea filij Dei ex communi Iudæorum familia electi fuerant, ita nunc deinceps ex communi Gentium congregatione filij Dei, & semen ipsi Abrahæ eligatur, ut constet id, quod dictum est ad Abraham, Multiplicabitur semen tuum sicut stellæ cœli, & arena maris. Id quod Oseas testatur in illis, quæ sequuntur, uerbis. Et erit (inquit) in loco, ubi dicitur eis, Non populus meus uos, dicitur eis, Filij Dei uiuentis. Hoc est, antea ex Israele facta est electio filiorum Dei. Vnde & regale sacerdotium, & populus sanctus uocabantur, non quidem propter ipsorum sanctitatem, sed propter electionem, & uocationem Dei, interea gentes uocabantur impius populus, & à Deo reiectus, quia neque Legem, neque promissionem, aut ueros cultus habebant. Nunc autem postquam Christus uenit in hunc mundum, inuertitur ille ordo, ita ut reiectis ex spiritualibus bonis Iudæis, qui nunc uerè dicuntur populus ^{ab eis}, gentes fiant per fidem in Christum Regale sacerdotium, & gens sancta, & numerentur inter filios Dei, etsi prius fuerunt reiectæ & impia. Ecce adeo multiplicabitur semen Abrahæ, ut etiam contra omnium hominum opinionem, inter gentes filios inueniat.

Hanc Prophetæ sententiam explicat Paulus ad Romanos ix ubi ita ait, Ut ostenderet diuitias gloriæ suæ in uasâ misericordiæ, quæ preparauit in gloriam. Quos & uocauit, non solum ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus, sicut in Osea dicit, Vocabo non populum meum, populum meum, & non dilectam, dilectam, & erit in loco ubi dictum est eis, Non populus meus uos, ibi uocabuntur filij Dei uiuentis. Et priore Petri secundo: Vos estis genus electum, Regale sacerdotium, Gens sancta, qui quondam eratis non populus, nunc populus Dei: qui quondam non consecuti misericordiam, nunc estis misericordiam consecuti, &c.

Sed quomodo (inquis) conuenit, quod Esaias cap. x. scribit

si

Si numerus filiorum Israel fuerit, quasi arenae maris, reliquiae conuertentur ex eo. Oseas autem hic dicat, Quod numerus Electorum & uocatorum filiorum Dei, sit quasi arena maris sine mensura? Respondeo, bene conuenit. Elaias enim loquitur de carnali Israel, è quo paruus admodum numerus in Christum credidit & in filios Dei, tempore Christi, electus est. Oseas autem loquitur de spirituali Israel, hoc est, de omnibus in Christum credentibus, non solum ex Iudæis, uerum etiam ex Gentibus, quorum sanè maximus est numerus.

Conciliatio
Esaia &
Osee de nu-
mero filio-
rum Israel.

Cæterum quod sequitur: **CONGREGABUNTUR FILII IUDA ET ISRAEL PARITER.** Et ponent sibi caput unum & ascendent de terra, quia magnus dies Iezrael, &c. Videtur quidem (si uerba nudè inspiciantur) de Reditu è captiuitate Babylonica intelligendum. Nam Cyro rege Persarum regnante, Populus Iudaicus ex captiuitate liberatus, in terram suam redijt. Sed quia tunc non Israel, sed tantum duæ tribus, Iuda & Benjamin, Hierusalem redierunt, neque unum Regem uniuersus populus Iudaicus habuerunt, Ideo non ad liberationem ex captiuitate Babylonica, sed potius ad Christi tempora Prophetæ respicit, ut sit sensus: Vos Iudæi hoc quidem tempore duos habetis Reges. Alterum in Hierusalem, alterum in Samaria, Sed erit tempus, quando uerus scilicet uenerit Messias, & unicum duntaxat regem Iuda & Israel agnoscetis, hoc est, Omnes credentes ex Iudæis & Gentibus collecti agnoscent Christum, congregabunturq; illi non corporaliter, sed spiritualiter in fide, & spiritu, & augebitur semper & ubiq; numerus credentium in omnibus nationibus. Sic enim Esaias quoque capite ij. Et Michæas cap. iij. scribunt. Et erit in nouissimis diebus (inquiunt) mons domus Domini, preparatus in uertice montium, & sublimis super colles, & fluent ad eum populi, & properabunt gentes multæ & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, &c. hoc est, in die Pentecostes Hierosolymis reuelabitur prædicatio Euangelij de filio Dei Domino nostro Iesu Christo. Et ab illo loco spargetur concio de Christo uero Messia per Apostolos in totum orbem terrarum. Et tunc omnes credentes unanimiter agnoscent Christum pro rege, Domino & saluatore suo, &c.

Iudæorum
quando u-
nus Rex.

Similiter Zacharias capite octauo: In diebus illis apprehen-

dent decem homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam uiri Iudæi, dicentes, ibimus uobiscum, audiuiimus enim, quia Deus uobiscum est.

Quod uerò sequitur, **QVIA MAGNVS DIES IEZREEL.** Libenter interpretarer de prospera fortuna, qua postea temporibus Christi Israelis siue Samariæ Regnum, in quo Iezreel sita fuit, & uniuersæ gentes, quæ per Iezreel intelliguntur, & Christum uera fide suscepturi erant, quemadmodum liber Actorum cap. viij. ostendit, uisi fuerunt, ut esset sensus, adeò excrescet numerus filiorum Israel, ut etiam ex ipsis gentibus innumerabiles futuri sint Christiani, & ueri Israelitæ, atq; in illis ipsis locis, in quibus nunc omnis impietas, & Idololatria regnat, habitaturi sint filij uiuentis Dei. hoc est, tanta beneficia conferet Deus terræ Iezreel, id est, uniuerso populo Israel, ut præ multitudine futurus sit innumerabilis, quippe & ipsæ gentes sese adiungent Iudæis, & fient etiam ipsæ Israelitæ, & fruuntur simul summa felicitate. Atq; huic sententiæ patrocinari uidentur sequentia huius secundi capitis uerba, ita enim dicit Dominus. In die illa exaudiam ego cælos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet triticum & uinum & oleum, & hæc exaudient Iezreel.

Dies pro Ira & uindicta Dei.

Sed facit usitata phrasis scripturæ, ut hanc sententiam non sequar. Usitatè enim **DIES** pro ira & uindicta Dei sumitur, ut Esaia decimo tertio, Ieremiæ trigesimo, Ioel secundo, & Amos quinto. Placet ergo, ut sit epiphonema à Propheta concionis suæ additum. Eritq; hæc sententia. Tanta seueritate & indignatione uindicabit Dominus sanguinem innocentem, effusum in Iezreel, hoc est, omnem impietatem, crudelitatem & Idololatriam populi Israel, tanta seueritate puniet, ut non solum ipsum sit abiecturus, Verum etiam peregrinum populum in locum eius sit assumpturus, & pro uero semine Abraham, & populo suo sit agnitus. Quod uerò per ciuitatem Iezreel & sanguinem innocentem ipsius Naboth in ea effusum, omnis impietas Regni Israelitici intelligatur, non est contra scripturam. Nam usitatè pars pro toto in scriptura sumitur. Quemadmodum ergo Deus ipsum Achab, cum non tantum non aboleret uitulos, quibus Ierobeam peccare fecerat Israel, uerum etiam occideret Prophetas, Idololatriam reprehendentes, effunderet sanguinem innocentem, atque adeo sese omni iniquitatis genere polueret,

lueret, ultus est, atque reiecto ipso, Iehu in Regem Israel constituit. Ita Deus Gentem Israeliticam propter suam Idololatriam & impietatem abiecit, excæcauit & exhæredauit, Atque ut **DIES** Iezrael esset magnus, hoc est, ut esset ira, atque uindicta Dei satis seuera, & uehemens contra Israelem, elegit in locum ipsius alienum populum, ipsas nimirum Gentes, incepitque hæc ultio & ira Dei primò in Rege Achab, deinde uerò latius progressa in familia Iehu. Tandem completa & absoluta est tempore Aduentus Christi, quando per prædicationem Euangelij Gentes ad communionem cœlestium bonorum assumptæ sunt deletis, abiectis, & excæcatis Iudæis.

Ex hoc loco discamus patientiam, & longanimitatem Dei, qua aliquoties pœnam differre in longum tempus solet, & demus operam, ne ea ad impietatem abutamur. Etsi enim Achab unà cum senatoribus Iezreelitis grauissimè peccauerant interficiendo innocentem ciuem Naboth, tamen Deus non statim puniuit, sed distulit pœnam post obitum Regis Achab. Hoc enim defuncto, omnem posteritatem eius per Iehu deleuit. Et cum ciues Iezreelitæ iam sibi impunè tulisse suam crudelitatem, qua lapidibus obruerant Naboth, uiderentur, Ecce Deus sceleris eorum recordatur, Iddèque longo post tempore per Oseam minatur eis non solum deuastationem, uerum etiam abiectionem & excæcationem populi Iudaici, atque res ipsa testatur, has minas non fuisse irritas. Disce ergo Deum esse bonum & longanimem hospitem, potest enim solutionem symboli in multos annos differre, tandem uerò summa seueritate exigere.

Quoniam uerò Oseas hoc loco de Reiectione Iudæorum, & Assumptione siue uocatione Gentium, ex quibus nos nostram ducimus originem, concionatur, obijcere quis posset? Quid? Suprà audiuius, quòd, cum Propheta de Reiectione Iudæorum uaticinetur, illo ipso etiam nos nostræ abiectionis admoneat, Et quòd conciones eius æquè ad nos pertineant, ac olim ad Iudæos. Nunc uerò ex hoc loco manifestè uidemus, quòd tantum Abiectionis Iudæorum mentionem faciat, Et manifestissimis uerbis indicet, quòd nos Gentes à Deo in numerum populi sui simus recepti, Exultabimus ergo. Et cum iam simus (ut Petrus loquitur) Regale sacerdotium, & Gens

Patientiæ
& longanimitatis Dei
exemplū.

sancta, non est quòd uel à Turca, uel ab alia quauis afflictione aut etiam reiectione à Deo nobis metuamus?

Judæorum
increduli-
tas & reie-
ctio quid
nos doce-
at.

Respondeo. Scio equidem hanc esse Prophetæ sententiam, quòd uaticinetur de Assumptione Gentium, hoc est, nostri. Sed interea etiam scio, quid Paulus ad Romanos undecimo, nobis gentibus in populum Dei receptis, cõcionetur. Quòd si (inquit) aliqui ex Ramis confracti sunt, Tu autem cum oleaster es, & socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduersus Ramos, Quòd si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dices ergo, fracti sunt rami ut ego inserar. Bene, propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fidas, noli altum sapere, sed time: si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Audis ex Paulo, causam Reiectionis Iudæorum, fuisse incredulitatem. Quare cum apud nos Christianos, qui ex Gentibus, & Inficitij rami sumus, eadem atque grauiores causæ reperiuntur, non est, quòd tibi persuadeas, nos euasuros eandem pœnam & Reiectionem. Imò prorsus sic habeto, Quòd si Paulus nunc reuiuisceret, non iuberet certè nos, ut timeremus nobis à Reiectione, sed potius mandaret, ut nos ad deuastationem Germaniæ, & ad Abiectionem à facie Dei præpararemus. Si enim suis auditoribus, qui feruentiori fide, & charitate præditi fuerunt præcipit ut sibi exemplo Iudæorum metuant, quid putas, mandaret nobis, in quorum cordibus extincta ferè est fides in Christum, & tepida ualde facta est charitas? Fuimus quidem hætenus, & mansimus assumpti in filios Dei, loco Iudæorum, sed quia nunc longè superamus Iudæos impietate, & incredulitate, iustum est, ut & unà cum illis abijciamur.

Hæc non dico quòd existimem actum prorsus esse de Ecclesia. Absit hoc longissimè. Reseruat enim sibi Deus sua seprem millia, hoc est, innumerabilem multitudinem hominũ, qui genua sua non curuarunt ante Baal, semper colligit sibi Deus Ecclesiam ex illo cœtu in quo sonat uox Euangelij sui. Et Christus ipse ait, Ecclesiam fundatam esse super petram, contra quam non præualere possint portæ Inferni. Et iterum. Ego ero uobiscum usque ad consummationem seculi. Sed, ut terrorem incutiam impœnitentibus, & præfractis peccatoribus: non enim impunè ferent contemptum uerbi Dei, Et ut nos

nos Resipiscencia nostra & bonis fructibus pœnitentiæ conemur effugere pœnas, quas Deus contemptoribus minatur.

DICITE FRATRIBVS VESTRIS, POPVLVS MEVS, ET SORORI VESTRÆ, MISERICORDIAM CONSECVTA, EXPOSTVLATE CVM MATRE VESTRA, EXPOSTVLATE, QVONIAM IPSA NON EST VXOR MEA. ET EGO NON SVM VIR EIVS. ET AVFERAT FORNICATIONES SVAS, ET ADVLTERIA SVA DE MEDIO VBERVM SVORVM.

NE FORTE EXPOLIEM EAM NV DAM, ET STATVAM EAM SECVNDVM DIEM NATIVITATIS SVÆ, PONAMQVE EAM VELVT TERRAM INVIAM, ET ENECEM EAM SITI.

FILIORVM QVOQVE ILLIVS NON MISEREAR, QVIA FILII FORNICATIONVM SVNT.

Dixit Propheta unum fore populum ex Iudæis & Gentibus, & utrosque unum Regem Christum agnituos & ueneratuos, id quod re ipsa completum est. Nunc igitur exhortatur Iudæos, ad Christum conuersos, ut Gentes non contemnant, sed summa beneuolentiâ tanquàm fratres suos complectantur, & in Euangelium, & communionem cœlestium bonorum recipiant. Est autem hæc *παράκλησις* admodum necessaria, siquidem ante Aduentum Christi, nusquam maior discordia, disunctio animorum, atque inimicitia inueniebatur, quàm inter Iudæos & Gentes. Iudæi habebant Gentes pro execratissimo hominum genere, propterea quòd aurum, argentum, lignum, & lapides pro Dijs colerent, imò quòd Dæmonia pro dijs uenerarentur, sicut scriptum est Psalmo quinquagesimo nono: Omnes dij Gentium Dæmonia. Contra Gentes habebant Iudæos pro stultissimis omnium nationum, propterea quòd circumciderentur, & adorarent Deum quem suo nomine nominare nefas sit, adeoque tam inepta uarietate colerent, Vnde inter ipsos plus quàm Vatinianum odium nascebatur. Et Iudæi adeo contempti à Gentibus habebantur, ut sæpius in bellis multa millia Iudæorum captorum, minimo precio uendiderint. Maximi ergo miraculi loco habendum est, quòd per Christum, in unum populum consentientes coierint. Perinde enim est, ac si lupi & agni simul cohabitarent, & profus consentiret. Id quod fore prædixit Esaias capite undecimo: Habitabit (inquit) Lupus

Iudæorum
& gentium
in unū po-
pulum coi-
tio, miracu-
li loco est.

cum agno, & Pardus cum Hædo accubabit, Vitulus & Leo, & Ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos &c. Postquam enim Christus in hunc mundum uenit, factus est ex Iudeis & Gentibus unus Pastor, & unum ouile, quia per carnem suam sustulit inimicitias, quæ propter legem inter Iudæos, & gentes erant ortæ, ita ut deinceps gentes nō amplius peregrini & aduenæ, sed ciues Sanctorum, & domestici Dei facti sint. Hortatur ergo Oseas Iudæos, dicens, Nolite uos Iudæi in posterum cum Gentibus contendere, sed potius eos tanquam fratres, & sorores uestras omni qua potestis beneuolentia complectimini, quia propter Christum filium Dei, iam non amplius sunt repudiatæ, sed à Deo in populum suum, & in gratiam unā uobiscum sunt receptæ.

Eph. 2.

Concordia
festanda.

Notæ sunt parabola Christi Matthæi uigesimo, de Mercenarijs uineæ. Et Lucæ decimo quinto, de filio perduto, quàm ægrè tulerint Iudæi, Gentiū uocationem, & electionem. Paulus quoque in Epistola ad Romanos cap. decimo, ex Propheta Mose, de æmulatione Iudæorum contra gentes concionatur. Nemini igitur mirum uideatur, quòd Spiritus sanctus, per Prophetam hoc loco, tam sedulo conuersos Iudæos alloquatur, & hortetur, ut deposita omni contentione, & æmulatione, gentes unā cum ipsis, propter Christum in communionem populi Dei assumptas, humanissimè tractent.

Iudæorum
mater car-
nalis.

Atq; hac exhortatione omnes Christiani inter se dissentientes, & similtates inter se exercentes admonentur, ut aut odium suum deponant, & se mutuo fauore complectantur, aut sciant se alienos esse à Regno Christi pacifico. Inuenit quidem Christus populum dissentientem, sed facit consentientem. Et est (ut Esaias testatur) Princeps pacis, non odij, & contentionis. Nolite (inquit Oseas) uos Iudæi contendere cum Gentibus, sed complectimini eas, tanquam populum Dei. Contendite autem (si omnino contentione delectamini) cum Matre uestra. Iudæorum ad fidem conuersorum mater erat Gens carnalis Iudaica, è qua gente etiam Christus, & Apostoli iuxta carnem nati sunt. Ex qua etiam (sicut testatur liber Actorum capite secundo,) erant tria millia illa, quæ per concionem Petri in die Pentecostes ad fidem in Christum conuersa sunt. Cum hac (inquit Oseas)

Oseas) matre, ex qua nati estis, contendite.

Porro contentio illa cum externa & carnali Gentis Iudaicæ Contentio
Spiritualis. matre, non est carnaliter intelligenda, quia propter fidem in Christum non est carnaliter pugnandum, neque potest quisquam gladio ad fidem cogi, Sed loquitur Propheta de spirituali contentione, & est sensus. Nolite cum matre uestra, Gente Iudaica consentire in impietate, in Idololatria, & in sceleribus, nolite iugum cum ipsa ducere, aut Religionem eius sequi, sed relinquitte, fugite, & reijcite, quicquid est Iudaismi. Confidit mater illa in opera, in Legem, abominatur Christum, persequitur Euangelium, Ab his ergo moribus longè uos abesse iubeo. Imò omnem operam date, ut admoneris eam suæ impietatis, & incredulitatis, atque exhortemini eam, ut relicta ea, Christum agnoscat & effugiat pœnam, quæ propter impietatem (si non resipuerit) ipsi infligetur.

Quare autem contendendum est cum matre Iudæa?

Quia (inquit Dominus) non ultra sum maritus eius, nec ipsa est uxor mea. Olim quidem desponsavi mihi Gentem Iudaicam, tanquam uir legitimam uxorem solet sibi desponsare. Genesis decimosextimo, Statuam pactum meum inter me, & te, & inter semen tuum post te, in generationibus suis, foedere sempiterno, ut sim Deus tuus, & seminis tui post te, &c. Iudæa mater quare
reiecta.

Sed nunc fornicata est à me, & commisit adulterium, quia abiecto me, & uerbo meo, fornicatur cum alienis, quos sibi elegit, dijs, uitulos nimirum aureos in Dan, & Bethel, nec non Baal, Astaroth, Moloch, Chamos, Camarim amare coepit, atque apud illos suos amatores, omnem suam quærit salutem & fœlicitatem. Repudiabo ergo eam, ut non sit ultra uxor mea, Imò, quia meretrix facta est, per Idololatriam & incredulitatem, neque uxoris honestæ officio fungitur, non eligam mihi ultra ex ea filios Dei. Et licet se iterum mihi adiungere cupiat, tamen ius meum esset, ut nunquam in Coniugium meum reciperem. Sic enim Lex habet Deuteronomij uigesimoquarto. Cum Mulier egressa domum, per Libellum Repudij, alterum Maritum duxerit, Et ille quoque

oderit eam, dederitq; Libellum repudij, & dimiserit de domo sua, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, & abominabilis facta coram Domino. Et Ieremiæ tertio, Vulgo dicitur, si uir dimiserit uxorem suam, & recedens ab eo, duxerit uirum alterum, nunquid reuertetur ad eam ultra? Nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? &c.

Cùm ergo carnalis Gens Iudaica, relicto suo legitimo marito uero Deo, fornicata sit cum amatoribus, qui & ipsi eam nunc repudiant, possem iure meo, iuxta Legem uti, & ultra non recipere, Nihilominus tamen (quia supra Legem sum) dispensabo de Lege, & infringam eam, committamque adulterium, & recipiam eam in uxorem, & omni beneuolentia iterum complectar. Si modo adhucodie ab adulterio reuersa fuerit & auferat suas fornicationes, & adulteria ab oculis meis, hoc est, si abiecta Idololatria & incredulitate sua, conuertat se ad uerum uiuentem Deum, per unicum filium eius Dominum nostrum Iesum Christum. Quòd si non reuertatur ad me, statuam eam nudam, & ponam eam planè denudatam secundum diem Natiuitatis suæ, hoc est, confundam eam coram toto mundo. Et ponam eam quasi solitudinem, quod est de deuastatione dictum. Et statuam eam sicut terram inuiam, & interficiam eam siti, hoc est, præ pudore & confusione desperabit, neque ex confusione poterit se amplius erigere. Et filiorum eius non miserebor, hoc est, quia plerunque filij sequuntur mores parentum suorum. Ideo abijciam eos unà cum matre sua repudiatam, à facie mea, neque ultra miserebor illorum.

Ex his uerbis primum notanda est ingens & immensa Misericordia Dei, qua peccatorem, etiam maximum, Resipiscentem recipit, Quemadmodum Christus ipse tribus Parabolis apud Lucam capite xv. quoque testatur, quarum prior loquitur de filio Perdito, omnia bona sua cum meretricibus dissipante, altera de Muliere drachmam recipiente. Tertia de Oue quæ perierat inuenta.

Deinde reuelatur nobis maxima, & seuerissima ira Dei super peccatores ad Verbum Dei non resipiscentes. Atque describitur his uerbis (statuam eam nudam, &c.) forma, seu modus

Forma sup
pli cij diuini.

modus supplicij, quo impij in iudicio Dei afficiuntur. Nam primò quidem posteaquàm Deus impium, qui per infidelitatem à uiuificante uerbo ad proprias adinventiones & Idololatrias cultus defecit, iudicare incipit, tunc relinquitur ab omnibus suis ficticijs sacris & dijs, adeo que omnium creaturarum auxilio adeo destituitur, ut prorsus nudetur omni iusticia, & propter peccata sua in quibus conceptus & natus est, & quæ opere ipso perpetravit, coram omnibus creaturis, tanquàm fur, publicè traducatur & perpetua ignominia afficiatur. Vnde Esaias capite ultimo, de impijs iudicio Dei obrutis ita ait, Vermis eorum non morietur & ignis eorum non extinguetur, atque adeo ad facietatem uisionis erunt omni carni.

Deinde statuitur quis nudus & reuelantur pudenda eius, quando Deus reuelat impio in conscientia sua Maledictionem & damnationem, quam hæreditate ab Adam accepit, & in qua conceptus & natus est. Sic nudabatur Adam in Paradiso post perpetratum peccatum. Etsi autem nuditatem contegere nitabatur perizomate, nihilominus tamen confundebatur. Sic etsi nos nostras transgressiones, in conscientia nostra reuelatas, occultare conamur nostris conatibus & proprijs adinuentibus, tamen subinde magis reuelantur & reteguntur. Non enim tegitur confusio ullis operibus, aut ficticijs cultibus. Solus Iesus Christus filius Dei uerum est operculum peccatorum nostrorum, quo si quis careat, apparebit nudus coram Deo & omnibus creaturis. Contra uerò si quis Christum pro operculo secum adduxerit ab omnibus creaturis summo afficietur honore. Atque hoc illud est, quod Dominus per Oseam dicit, Si abierint Iudæi incredulitatē suam, propicius ipsis ero. Quòd si uerò retinere suam impietatem & contemptum uerbi mei uoluerint, certè in peccatis suis in quibus concepti & nati sunt, peribunt, atque ponam eos quasi solitudinem, & interficiam eos siti, hoc est, desperabunt in suis peccatis, & destituentur omni auxilio. Nam auferam ab eis Verbum & Euangelium meum, ex quo in omni afflictionis genere consolationes haurire potuissent.

Nudi quomodo statuamur.

Christus solus uerum operculum nostrum.

Cum hac comminatione conuenit, quod Propheta Amos cap. octauo scribit. Ecce dies (inquit) ueniet dicit Dominus, & emittā famem in terram, non famē panis, neq; sitim aquæ, sed

Fames uerbi
Dei maximū
supplicium.

audiendi uerbi Domini. Neque frustra fames Verbi Dei, siti, Et Iudaicus populus solitudini comparatur. Nam quemadmodum tempore siccitatis propter penuriam pluuiarum terra nullos potest producere fructus, atque homines siti enecantur, Ita uerbo Dei sublato, nulla consolatio, nulla spes est reliqua, sed mera est tristitia, desperatio & mors. Nulla ergo maior & seuerior pœna excogitari potest fame uerbi Dei. At hoc supplicio afficiuntur, quotquot uerbo Dei admoniti non resipiscunt, sed præfractè in peccatis suis pergunt.

Cœpit autem hæc pœna tempore Christi, in carnalibus Iudæis, & permanet adhuc, donec Christum uera fide agnoscent. Ita enim ait Christus Ioannis quarto: Omnis qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Ergo ubi non est aqua illa uiua, ibi nihil quàm extrema sitis, & æterna damnatio remanet.

Similiter impleri cœptum est tempore Christi, quod sequitur: Non miserebor filiorum eius, Tolerabile enim fuisset, si tantum corporali & externo suo Regno Israelitico & reliquis suis externis bonis per Salmanassarem Regem Syriæ exuti, & dissipati fuissent, Sed respicit Propheta non in hanc externam & corporalem indignationem Dei, sed potius loquitur de æterna. Nam cum salutem propositam à Deo nunquam non reiecerint, iustum Deo uisum est, ut in extremam cæcitatem & damnationem corporis & animæ conijcerentur. Fieri quidem potest, quòd Propheta occasione deuastationis Regni Israel per Regem Syriæ factæ, proruperit in hæc uerba, sed quia non multum afficitur amissione corporalium bonorum quæ in hac deuastatione sui Regni perdidit Iudæi, Ideo de æternis potius, & cœlestibus bonis hoc loco agitur, quibus priuati sunt Iudæi, cum propter contemptum Christi, à Deo sunt excæcati. Quare minatur Deus per Prophetam Iudæis summam & extremam pœnam, cum ait, se ablaturum à posteris eorum suam misericordiam.

Peccatores
quamuis
serò pœni-
tentes sus-
cipiendi.

Quod autem Oseas ad Iudæos concionatus est, hoc idem nunc ad nos quoq; concionatur, qui Euangelio Christi nomina nostra dedimus. Iubet enim non ut contendamus cum fratribus nostris, hoc est, cum Papistis, & ijs, qui hæctenus quidem

quidem pessimi fuerunt, nunc uerò, uel tandem ad Christum conuersi sunt, sed ut ijs tanquam fratribus nostris omnem beneuolentiam exhibeamus, & pro electis Dei suscipiamus, Sicut etiam Paulus ad Tirum tertio præcipit dicens: Admone illos, ut sint ad omne opus bonum parati, non sint litigiosi, sed modesti, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. Eramus enim aliquando & nos insipientes, Increduli, errantes, seruientes desiderijs, & uoluptatibus uarijs, in malitia, & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Sed ut contendamus cum matre nostra. Quæ uerò est ista mater? Est Ecclesia Papistica siue Romana, in ea enim nati, & educati sumus, & fuit hæc Ecclesia hæctenus uocata mater Ecclesiarum. Cum hac (inquam) matre, hoc est, Papistica non cum uera Ecclesia contendamus, non quidem externo, & carnali modo, sed ut ab impietate, Idololatria, impijs cultibus, & falsis dogmatibus eius deficiamus. Papistæ enim in sua opera, in suas Missas, Vigilijs & alia sacra confidunt, nobis autem confidendum est in Iesum Christum, & eius Passionem.

Quare autem cum ipsa contendere & ab ea deficere debemus? Quia (inquit Dominus) Ego non sum maritus eius, nec ipsa uxor mea est. Desponsaui quidem quondam mihi eam in uxorem, quando Petrum & Paulum ad Romam misi, & quando pios Episcopos ei dedi. Quando etiam Paulus Apostolus meus ad eam scribebat suam Epistolam, in qua laudabat eorum fidem, dicens ad Romanos primo. Gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus uobis, quia fides uestra annunciatur in uniuerso mundo. Sed posteaquam Papa Regnum mundi affectare incepit, facta est fornicatrix, & me derelicto, sequitur nunc amatores alienos, Missas uidelicet, peregrinationes, inuocationes Sanctorum, & omne genus Idololatriæ. Et haberem quidem ius, & potestatem, ut eam totam reijcerem, iuxta Legem. Sed ut Misericordiam meam in ea declararem, adhuc hodie reuertatur à uia sua pessima, ab Idololatria & impietate sua, & ignoscam ei. Quòd si uerò ad uerbum meum resipiscere noluerit, statuam ego eam nudam, sicut in die Natiuitatis suæ. Et coram omnibus creaturis confundam. Hoc est, Roma initio fuit habitatiuncula & Tuguriolum Pastorum, & postea ab impijs & incredulis

Cum ecclesia
Papistica
quare contendendum.

Ethnicis fuit condita. Quare si hoc tempore suam Idololatriam relinquere noluerit, faciam iterum ex ea habitationem Gentium, Turcarum, aut omnino reddam ex ea vastam solitudinem. Proponat sibi ob oculos exemplum Ecclesiæ Orientalis, siue Constantinopolitanæ: An non in ea nunc Turca regnat? An non nudata est ut in die Natiuitatis, & coram uniuerso mundo pudefacta? O nos insanos & insipientes, si hoc horribili exemplo non moueamur ad Resipiscentiam & emendationem uitæ nostræ.

FORNICATA EST MATER EORVM: PVDORE AF-
FECTA EST QVÆ CONCEPIT EOS, DIXIT NAN-
QVE, VADAM POST AMATORES MEOS, DANTES
PANEM MEVM, ET AQVAM MEAM ET LANAM ME-
AM, ET LINVM MEVM, OLEVVM MEVM, ET PO-
TVM MEVM.

PROPTEREA EN EGO SEPIAM VIAM TVAM SPINIS,
ET SEPIAM SEPEM, ET SEMITAS SVAS NON INVENIET.
SEQVEBATVR SVOS AMATORES, SED NON APPREHEN-
DEBAT EOS, QVÆREBAT QVOQVE EOS, ET NON INVENIE-
BAT, ET DICEBAT: VADAM ET REVERTAR AD VIRVM ME-
VM PRIOREM, QVIA BENE MIHI FVIT, QVAM NVNC. NON
COGNOSCEBAT AVTEM QVOD EGO DEDISSEM EI FRV-
MENTVM ET VINVM ET OLEVVM, ARGENTVM ET AV-
RVM QVÆ FECERVNT IPSI BAAL.

Antea exhortatus est Spiritus sanctus Credentes & conuer-
sos ex Iudæis, ut non contendant cum gentibus iam credulis,
sed suscipiant eas cum omni mansuetudine. Contendant au-
tem cum matre, hoc est, cum Iudaica gente, & moneant ipsam,
ut resipiscat: furorem enim Domini esse magnum, & iram eius
grauem, quæ si exarserit, omnes deuoret: atq; ita argumento à
futuris calamitatibus, ducta est admonitio. Nunc causam adiicit
Dominus, cur iuste eam punire uelit, si non resipiscat, Quia, in-
quit, fornicata est mater eorum, hoc est, defecit à uerbo Dei, &
animum ad Idola, id est, ad excogitatos cultus appulit. Ad hæc
omnia beneficia, quæ è manu mea acceperunt, non mihi sed I-
dolis suis accepta tulerunt. Et cum eam confunderem, atq; ad
uersis obruerem, ita ut uideret & sentiret, se nihil posse iuari à
suis Idolis, sed tantum à me, atq; a deo fateretur se porro me ue-
rum Deum culturam, tamen postquam adiuueram eam, statim
ad Idola sua festinauit, neque unquam uerè cognoscere uoluit,
quod salus non à fictitijs cultibus & Idolis, sed tantum à me ue-
ro Deo proueniret.

Videamus

Videamus ex ordine quomodo ea quæ hoc loco commemorantur ab Israelitis sint facta. Initio, cum iam ex Aegypto egressi fuissent, & Moses dux eorum ascendisset in montem, allatus Legem, confluxerunt ex inauribus vitulum aureum, in quo fornicati sunt, quæ fornicatio quanquam tunc seueriter à Domino punita sit, tamen adiecit dicens, Ego in die ultionis uisitabo & hoc peccatum eorum.

Iudeorum
fornicationes
ex ordine.

Deinde, cum iam terram Canaan auxilio diuino occupassent, coluerunt Baalim & Astaroth. Adhæc cum iam Salomon templum in Ierusalem ædificasset nihilominus tamen seruiebant Astarthæ deæ Sidoniorum, Chamos deo Moabitarum, Moloch deo Ammonitarum. Immolabant in excelsis, in lucis, in uallibus, adorabant duos vitulos aureos, Alterum in Dan, alterum in Bethel institutos. Traducebant filios per ignem, colebant Baal, & uniuersam militiam cœli, quemadmodum scribitur. iiii. Regum xvij. Et cum his sacris assuefiebat, eò tandem impietatis deuenerunt, ut quicquid externarum rerum felicitatis contingebat, id omne his enumeratis cultibus adscribebant. Quicquid uerò infelicitate cadebat, neglectui horum sacrorum tribuebant. Et cum admonerentur à Prophetis, ut resipiscerent, & ad uera sacra reuerterentur, quæ à Deo essent tradita, & præscripta, quasi è sublimi deridebant Prophetas, dicentes: (quemadmodum hoc loco Oseas ostēdit) sequamur amatores nostros, qui nobis dant panem, aquam, lanam, linum, oleum, & potum nostrum (hoc est) Quid ad nos Prophetarum conciones? reprehendant sanè cultus nostros siue non, condemnent quoque sacra nostra, quæ celebramus in lucis, in excelsis, in uallibus, & alijs locis, uel laudent, quid tum postea? Seruiamus Baal, & reliquos diuinos cultus nostros peragamus, etiamsi rumpantur Prophetæ, & ad rauim usque contra hos cultus clament. Nam certi sumus nos per hæc sacra impetrare frumētā, irrigationes, lanam, linum, oleum & uinum, nihil ergo moramur nouorum illorum concionatorum clamores, neque abijciemus propter eos sacra nostra. Etenim hæc est peruersa hominum natura, quòd quibus sacris aut moribus assueuit, his solet uel peractis, uel omissis Benedictionem & maledictionem adscribere: atque profert sese hæc peruersa natura ferè in omnibus hominum generibus. Initio inter Ethnicos, existimarunt Romani Gallos ideo urbem suam

Astartha.
Chamos.
Moloch.

Naturæ hu-
manæ per-
uerfitas in
cultu im-
pio retinē-
do.

cepisse, quòd ante bellum sacra neglexissent. Inuadentibus Romanam Gotthis, clamabant pagani, se ideo hæc pati, quòd neglecta fuissent magnorum deorum sacra.

Viruli aurei cultus in deserto.

Regina cœli.

Inter Iudæos, Exod. trigesimo secundo, cùm instituisserunt vitulum aureum, clamabant, Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt ex Aegypto. hæc est, Quis hunc cultum improbare, cuius auxilio, & merito ab omnibus hostibus sumus liberati? Ieremij. vij. Filij colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas Reginae cœli, & libet dijs alienis, hoc est, Omnis ætatis homines, toti in hoc sunt ut retineatur impius & Idololatricus cultus, Et peracto illo, uenerunt (inquit Dominus) in domum meam, in qua inuocatum est nomen meum, steteruntque coram Domino, & dixerunt, liberati sumus eo, quòd fecerimus omnes abominationes istas. Et Iere. xliiij. dicit populus ad Prophetam Ieremiam. Sermonem quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te, sed facientes faciemus omne uerbum quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus Reginae cœli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos & Patres nostri, reges nostri, & Principes nostri, in urbibus Iuda, & in plateis Ierusalem, & saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumque non uidimus. Ex eo autem tempore quo cessauimus sacrificare Reginae cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame consumpti sumus.

Idololatria inter Christianos.

Inter nos Christianos non opus est hanc peruersitatem humani ingenij multis probare: Luce enim meridiana clarior est Idololatria nostra, cui omnem foelicitatem adscripsimus. Qui enim summo mane non audiisset Missam, nihil prosperitatis sibi per integrum diem pollicebatur. Et cùm fortè neglexisset quis Missam, atque illo die incommodum aliquod sensisset, statim adscribebat illud neglectæ Missæ. Si fortè post Pascha grandine aut pruina uites, ac frumenta peribant, adscriptum fuit intermissæ peregrinationi, aut alijs sacris omisissis. Et qui uis priuatus homo, sanctum aliquem ex choro diuorū selectum habebat, cui nisi quotidie preculas certas funderet, nihil planè eo die foelicitatis sperabat. Atque adeo hæc peruersa opinio, tam altas radices in hominum animis egit, ut Benedictionem & maledictionem suis sacris adscriperint, Benedictionem, si sedulo peregissent, Maledictionem

Maledictionē uerò, si uel data opera, uel casu quo dam fuissent intermissa. Exempli gratia. Si quis assueuisset mane à dextro latere surgere, & se signo crucis signare, fortè fortuna autem à sinistro surrexisset, & eo die aliquid aduersi accidisset, solitus fuit protinus aduersitatē illam surrectioni à latere sinistro tribuere. Adeo peruersum est iudicium hominum in iudicandis causis Benedictionis & maledictionis. Nos autem oportet longè aliter de Benedictionibus & maledictionibus iudicare. Non enim proueniunt illæ ex sacris excogitacijs, uel completis, uel ommissis, Sed proueniunt ex hoc, quòd uerbum Domini Dei nostri obseruatur uel negligitur, quemadmodum habes copiosum & firmum testimonium Leuit. uigesimo sexto, Deut. uigesimo octauo. Si (inquit Mose) audieris uocem Domini Dei tui, ut facias, atq; custodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, uenient super te uniuersæ benedictiones istæ & apprehendēt te, si tamen præcepta eius audieris, Benedictus tu in ciuitate, Benedictus in agro, benedictus fructus uētris tui, & fructus terræ tuæ &c. Quòd si audire nolueris uocem Domini Dei tui, ut custodias, & facias omnia mandata eius, Venient super te omnes Maledictiones istæ, Maledictus eris in ciuitate, Maledictus eris in agro, &c. Si audieris (inquit Moses) **VERBUM DOMINI DEI TUI**, Non uerbum rationis aut uoluntatis tuæ, Non si Ioui aut Mercurio serueris. Non si Astaroth, aut Reginae cœli sacrificaueris. Non si audieris Papisticas Missas, aut cum crucibus hinc inde peregrineris, &c. Et si autem aliquoties hic ordo inuertitur & perturbatur, ut mala eueniant bonis, & bona malis, ut uides in Iob, & alijs ferè omnibus sanctis hominibus, inde & uulgare natum est Prouerbiū, Quo peior, eò fortunatior, atque Deus conniueat propter causas, quas hoc loco enumerare superuacaneum est. Tamen certissimum, uerissimumq; est, quòd Benedictiones non proueniant ex sacris illis excogitacijs, Imò, ut dicam quod res est, Fictitia illa sacra causa sunt omnis mali, & infœlicitatis, quemadmodum Oseas postea satis luculenter ostendet.

Cum igitur Iudai pro humanæ naturæ peruersitate, suam fœlicitatem impijs suis sacrificijs acceptam ferrent, Quid, quæso, Deus uicissim contra illos suscepit? Propter hoc (inquit) sepiam ego uiam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas lu-

as non inueniet. Et sequetur amatores suos, & non apprehendet eos, & queret eos, & non inueniet, hoc est, Sapius populū hunc affixi & in manus hostium suorum tradidi, qui excelsa & Lucos ipsius, in quibus olim sua sacra peregerunt diruerunt, eumque durissima seruitute opprēsserunt, ita ut non amplius cum suis amatoribus fornicari, uel excogitatitia sua sacra frequentare poterit. Etsi igitur in afflictione sua confugeret ad Astaroth, aut ad Baalim, auxilium eorum imploraturus, ita tamen spe sua frustrabatur, ut quantum ad deos illos attinebat, planè actum cum ipso esset, summa autem necessitate & angustia opprēssus & compulsus, ad me uerum suum Deum festinabat, & confitebatur me solum illum esse, qui ex afflictione & opprēssione hostium eripere posset. Pollicebatur ergo se ad priorem suum maritum, hoc est, ad me uerum Deum suum, & uerbum suum reuersurum, quippe quòd non sit alius qui æquè ex omni tribulatione liberare possit atque ego, Id quod præclarissimis miraculis comprobatum esse testabatur. Sed ecce statim atque ex hostium manibus eum eripuissē, ad pristinam suam Idololatricam relabebatur, cultusque suos impios maiori studio restaurabat, nec non obliuiscēbatur, quòd suum frumentum, mustum, oleum, aurum & argentum, hoc est, omnem suam liberationem & fœlicitatem, qua fruebatur, è manu mea suscipiscet. Nam Deos suos laudabat, & in ipsis ornandis, nullo auro, argento, & sumptui parcebat, cùm interea in sustentandis pauperibus & restaurandis cultibus à Domino Deo suo præceptis essent sordidissimi. Exempla huius rei habemus in libro Iudicum cap. ij. & capite decimo. Filij Israel (inquit scriptura) peccatis ueteribus iungentes noua, fecerunt malum in conspectu Domini, & seruiuerunt Idolis Baalim & Astaroth & dijs Syriæ, ac Sidonis, & Moab, & filiorum Ammon, & Philistijm, dimiseruntque Dominum, & non coluerunt eum. Contra quos Dominus iratus, tradidit eos in manus Philistijm, & filiorum Ammon, afflictique sunt, & uehementer opprēssi &c. Vides, quòd Deus sepierit uias Israelitarum spinis, & maceria, ut non poterint ultra cum Baal fornicari, sed potius ab hostibus opprēssi sint. Clamabant ergo ad Dominum, dicentes, Peccauimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum nostrum, & seruiuimus Baalim. Etsi autem Dominus liberauerat eos per Iudices, ex hostium

Iudæi subinde sunt reuerfi ad cultus Idolatricos.

Via Israelitarum sepe à Deo uarijs modis.

ffium potestate, tamen statim capite decimo tertio scriptura testatur, Ipsos iterum malum in conspectu Dei fecisse, & seruuisse dijs alienis.

Et tertio Regum decimosextimo, affligebat Dominus Regnum Israel diuturna fame propter impium cultum Baalim, & interficiebantur omnes sacerdotes Baal, ita ut uia ad Baal esset prorsus sepita spinis & maceria, & cogebantur à solo Domino Deo suo auxilium petere. Etsi autem impetrauerant à Domino fertilitatem, & rerum omnium ubertatem, tamen ne sic quidem uerè ipsum agnoscebant, sed suo Baal seruiebant, & cum eo fornicabantur.

Fames sup-
pliciu cul-
tus Idolo la-
trici.

Aliud exemplum habes in historia Regis Ierobeam, sub quo Propheta noster Oseas concionatus est. Nam huius Regis temporibus, præcludit Deus Israelitis uiam ad suos Deos, ut non potuerint in eis fornicari. Immiserat enim eis afflictionem amaram nimis, qua consumebantur usque ad clausos carceris & extremos, neque erat qui auxiliaretur Israeli. Etsi autem ex hac afflictione ipsos liberaisset per Ierobeam, qui restituit terminos Israel ab introitu Emath, usque ad terminos solitudinis, tamen nihilo meliores fiebant, sed continuò oblitum omnium beneficiorum Dei reuertebantur ad suos impios, & Baaliticos cultus. Contigit cum ipsis (ut Petrus loquitur) illud ueri prouerbij: Canis reuersus ad suum uomitum, & sus lota in uolutabro luti.

4. Reg. 14.

Tolerabile autem forsitan esset si soli Iudei subinde in suam Idololatriam relapsi fuissent, sed hoc deplorandū, & idē fieri apud nos Christianos uideamus. Audimus enim ex publicis concionibus uerbi Dei, de impietate Missæ Papisticæ, & alijs sacris impijs, Sed quid fit? Multos reperias, qui dicunt. Quid ad me Noui illi concionatores, reprehendentes Missas & cultus hætenus uisitatos? dicant quod uelint, nūquam mihi persuadebunt, ut Missam impiam esse ducam, aut eam relinquam. Video. n. eam esse causam omnis Benedictionis. Ex quo autem Nouatores illi reprehendere & abrogare Missam cœperunt, nulla prospera usi sumus fortuna. Pro uirili ergo operam dabo, ut restauretur, & si rumperentur, quotquot Missæ contradicunt. Quid autem Deus contra facit? Aliquoties sepit & præcludit illis impijs uiam, Morbis, Bellis, & alijs calamitatibus, ut non possint ad su-

Christiani
reuertētes
ad impios
cultus.

as Missas, spirituales suas fornicationes accedere, sed potius cogantur per solum Iesum Christum implorare Deum, & auxilium ab eo petere.

An non nostro tempore Deus per Turcas uiam Vngaris præclusit, & horribiliter sepsit, ut non ultra, uel in sua Regione Missas audire, uel ad externos sanctos peregrinari possint, sed nunc cogantur solum Dominum Deum nostrum inuocare? Si autem Deus nos ex miserijs nostris, quibus uiam ad Idololatriam solet præcludere, liberat, quid facimus? sequimur ne Deum & nos gratos erga ipsum declaramus? Nequaquam, imò multò reddimur deteriores, quia continuò festinamus iterum ad nostram impietatem & Idololatriam, neque adduci possumus ut Deum uerè agnoscamus. Ergo eadem poena nos cum Israelitis manet.

IDCIRCO CONVERTAR ET SVMMAM FRUMENTVM MEVM IN TEMPORE SVO, ET VINVM MEVM IN TEMPORE SVO. ET LIBERABO LABIAM MEAM, ET LINVM MEVM, QUÆ OPERIEBANT IGNOMINIAM EIVS. ET NVNC REVELABO STVLTICIAM EIVS IN OCVLIS AMATORVM EIVS, ET VIR NON ERVET EAM DE MANU MEA, ET CESSARE FACIAM OMNE GAVDIUM EIVS. SOLENNITATEM EIVS, NEOMENIAM EIVS, SABBATHVM EIVS, ET OMNIA FESTIVA TEMPORA EIVS.

DESOLABO QVOQVE VINEAS EIVS, ET FLORES EIVS, EO QVOD DIXIT, HÆC MERCES MEA QVAM DEDERVNT MIHI AMATORES MEI, ET PONAM EAS IN SYLVAM, ET COMEDET EAS BESTIA AGRI.

ET VISITABO SVPER EAM DIES BAALIM, QUIBVS ADOLEBAT INCENSVM, ET ORNABAT SE SE INAVRE SVA ET MONILI SVO, IBATQVE POST AMATORES SVOS, MEI AVTEM OBLITA EST, DICIT DOMINVS.

Repetitis
subinde
peccatis, etiam
penam
multiplicatur.

Israelitarum
peccata.

Recitatio peccato, recitatur etiam supplicium peccati, ut uel tãdem discamus, seriam esse iram Dei, quam semper mitiorem imaginamur, quàm re ipsa est. Existimamus enim Satanam non esse tam deformem, quàm ipsum pictores pingant, nec infernũ adeo esse ardentem, quem admodũ sacrificuli prædicent. Peccatum autem Israelis est. Primum quod relicto uero Dei cultu, ad Idololatriam conuersi sunt. Deinde, quod omnem suam felicitatem, hoc est, benedictionem frumentorum, olei & reliquorum, Idolis adscripserunt, & hos cultus existimarunt esse felicitatem suam. Sed

Sed profectò summa ipsorū fuerunt infelicitas, id quod ex pœna quam minatur eis Deus animaduerti potest. Ita enim de pœna concionatur Deus. Auferam frumentum meum, & uinum meum in tempore suo, hoc est, Israel non tātum peccat contra me cōtemptu uerbi mei, & cultu suorum Idolorum, uerum etiam illo ipso, q̄ omnem suam fœlicitatem suis impijs cultibus acceptam fert. Nā etsi ego ex immensa & natiua mea misericordia & clementia, & propter promissiones meas, nulla non confero in eum beneficia, tamen his omnibus meis beneficijs turpiter abutunt: dicunt enim, hæc omnia sibi propter suos cultus, tanquàm præmia dari. Quare conuertar, atque frumentum meum, lanam meam, oleum meum, uinum meum & reliqua, in quibus tanquàm præmijs Idololatriæ suæ gloriantur, suo tempore ad me sumam, & affligam ipsos fame, siti, & nuditate, ita ut fame & siti enecentur, & propter penuriam lini & lanæ, non habeant quo ignominiam suam cooperiant: non enim patiar summum hunc beneficiorum meorum abusum, sed reuocabo ea ad me, ne amplius possint abuti ad Hypocrisin & ad Idola sua ornanda. Videmus autem hoc loco, Famem esse pœnam contemptus uerbi Dei & uerorum cultuum à Deo mandatorū, quam Deus minatur in Lege sua omnibus contemptoribus uerbi. Sic enim scribitur Leuit. uigesimo sexto: Quòd si ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoq; contra uos aduersus incedam, & confringam baculum panis uestri, ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus, & comedetis, & non saturabimini. Et iterum: Dabo uobis cœlum desuper sicut ferrum, Et terram æneam. Consumetur in cassum labor uester, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt. Quod hoc loco Lex minatur uerbis, id comprobauit Deus uarijs exemplis. Sub Elia Propheta, ut est lib. iij. Regum capite xvij. tribus annis & sex mensibus neq; ros, neq; pluuia cecidit in terram, propterea quòd Rex Achab non uellet abrogare cultum Baaliticum, Et tanta fames in terra erat, ut etiam equi & muli præ fame atque siti morentur. Sub Elizæo, cum Benadad Rex Syriæ obsidebat Samariam, facta est fames magna in Samaria, 4. Reg. 6. & tam diu obsessa est, donec uenundaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cibi stercoreis columbarum, quinque argenteis. Et mulier præ fame coxerit & comederit filium suum.

Fames pœna contemptus uerbi.

Quæ huius famis causa fuit? Nulla prorsus alia, quam Idololatria, & contemptus uerbi Dei, & uerorum sacrorum eius. Vnde Ezechielis cap. xiiij ait Dominus, Terra si peccauerit mihi ut preuaricet, preuaricans, extendam manum meam super eam, & contempnam uirgam panis eius, & immittam in eam famem, & interficiam de ea hominem & iumentum. Cum ergo Israel in summo uiuat contemptu uerbi Dei & sacrorum eius, iusto Dei iudicio fit ut puniatur & prematur fame.

Neq; hac tantum poena dignus est, uerum etiam, quia multiplicauit transgressionem, ideo multiplicabit etiam poena. Et nunc (inquit Dominus) Reuelabo ignominiam siue turpitudinem eius, in conspectu amatorum suorum, nec eripiet eam quisquam de manu mea. Supra audiuius qui sint amatores Israelis. Sunt enim excelsa & cultus absque uerbo Dei instituti, quorum meritis sperabant se contra hostium incursiones & uires fore tutos, ideo ait Dominus se primo quidem pudefacturum eos coram suis Idolis, & tanquam nudos sine omni auxilio, deridendos omnibus hominibus propositurum. Deinde uero ipsorum Idola quoque, una cum cultoribus suis euersurum. Confugient quidem ad sua Idola ac delubra eorum, sed in ipsis trucidabunt. Est & hæc poena contemptoribus uerbi Dei in lege denunciata. Nam Leui. cap. xvi. ita ait Dominus. Quod si nec sic uolueritis recipere disciplinam, destruiam ego excelsa uestra & simulachra uestra confringam, cadetis inter ruinas Idolorum uestrorum, & abominabit uos anima mea, intantum, ut redigam urbes uestras in solitudinem & desertam faciam sanctuaria uestra, nec recipiam ultra odorem suauissimum.

Multiplicatur adhuc poena, ita enim sequitur. Et cessare faciam omnne gaudium eius, solennitatem eius, Neomeniam eius, sabbatum eius, & omnia festa tempora eius. Instituerat Deus omnium festorum Iudeorum, ut in ijs lætarentur & omnium beneficiorum Dei ad alendam fidem suam recordarentur, Atque legem quam in monte Sinai acceperant perdiscerent, quemadmodum habet Num. cap. x. Si quando habebitis epulum, & dies festos & caledas, canetis tuba super holocaustis, & pacificis uictimis, ut sint uobis in recordationem Dei uestri, Ego Dominus Deus uester. Sed quo collocabantur? Ante prandium peragebant sua impia sacra, post prandium seruiebant uentri. Mane seruiebant Baal, uespere Iatanem. Minat igitur Deus festorum abolitionem. Hanc enim poenam uiolatoribus

Pœna contemptorū uerbi Dei in lege.

Festorum institutio apud Iudeos.

violatoribus festorum olim Deus in lege sua constituit Leuit. uigesimo sexto: Dispergam uos in Gentes, eritque terra uestra deserta, & urbes uestræ desertæ: Tunc placebunt terræ Sabbatha sua, cunctis diebus solitudinis suæ, quando fueritis in terra hostili, sabbatizabit & requiescet in sabbathis solitudinis suæ, eo quod non requieuerit in sabbathis uestris, quando habitabatis in ea.

Sic & apud Christianos festa olim in hunc usum fuerunt instituta, ut non tantum requiesceremus à laboribus manuum nostrarum, sed etiam ut audiremus Euangelium, & disceremus piè uiuere. Sed quomodo collocamus? Non melius, quàm olim Iudæi. Ecce enim ante prandiū inseruimus Missæ, post prandium ludo, choreis & conuiujs. Ante prandium seruimus Idolis, post prandium Satanæ. Sed quid? Num impunè feremus hunc abusum? Nequaquàm, audimus enim quid minetur Deus suis Iudæis. Scimus etiam quid acciderit Græciæ, & toti Ecclesiæ Orientali. Nonne sabbatha & festa eorum abolita sunt, & regnat nunc apud eos impius Mahumetismus? Cùm ergo Romana siue Occidentalis ecclesia, festis suis ad Idololatriã, & omne genus peccati abutatur, oportet, ut expectet etiam idem supplicium.

Festa eorum instituta apud Christianos.

Sequitur alia supplicij aggrauatio, ex qua animaduertere licet grauitatem peccati & seueritatem iræ Dei. dicit. n. Et uastabo uinẽ eius, & ficũ eius de quibus dixit, Mercedes hæ meæ sunt, quas derunt mihi Amatores mei. Sed quid peccauerunt uites, & ficus, quod & ipse puniant? Nihil prorsus, sed impietas tantum scelus est, ut propter ipsam, non ipse impius tantum, sed etiam omnes impij possessiones à Deo maledicantur & uastentur. Psalmus de Deo testatur, dicens. Cum impio impius eris. Et cum peruerso peruerteris. Mirum igitur esset, si non cum impio possessiones quoq; eius maledicerentur. Tamen propter peccatum cœlum fit ferreũ, ut non pluat, Et terra ænea, ut nullos fructus proferat. Aer quoq; malis & noxijs humoribus propter peccatum inficitur, quibus deinceps corpora humana repleta facillimè intereunt. Quomodo igitur fieri posset, ut non etiam totam regionem solitudine uastaret? Minatus est & hanc pœnam Deus in lege sua Leuitici uigesimo sexto, dicens, Si ambulaueritis ex aduerso mihi, nec uolueritis audire me, addam plagas uestras, usque in septuplum propter peccata uestra, emittamque in uos

Impij possessiones etiam maledictæ.

Aeris infectio, pœna cõreptus uerbi.

Bestias agri, quæ consumant uos, & pecora uestra, & ad paucitatem cuncta redigant, deserteque fiant uix uestra.

Vitium &
ficuum ua
stationis
causa.

Quod autem peccatum illud est propter quod uites & ficus Dominus uult uastare? Illud est quod Dominus his uerbis ostendit dicens. Dicunt de uineis suis: Hæ merces nostra est, quam dederunt nobis amatores nostri, hoc est, propterea quod fictitijs suis cultibus atque meritis eorum tribuunt fertilitatem uinearum & ficuum suarum, ideo uastabo eas, ut uideant se carere recto Iudicio. Longè enim aliter quàm ipsi ego iudico. Nam quod ipsi iudicant summam esse iusticiam, pietatem & felicitatem, hoc ego dico esse summam iniusticiam, impietatem & maledictionem.

Et ut breuissimis omnia complectar (inquit Dominus) Visitabo contra eam Dies Baalim, quibus incensum fecit, & ornata est, ac torque suo, secuta est amatores suos, mei autem oblitata est, hoc est, Israel fingit sibi novos cultus, quos summa diligentia obseruat. Et in quibus exornandis nullis facultatibus ne monilibus aut torquibus quidem suis parcat, quin suum ipsius corpus hisce spoliat, eisq; suum Baalim ornat. Cultibus uerò uerbo meo institutis, & uerbo sanctificatis ne teruncium quidem largitur, imò obliuiscitur uerbi mei & mandatorum meorum. Et si quartam partem earum facultatum quas insumpserunt in exornandis Idolis suis, pauperibus pro elemosyna dare debuissent, existimassent se omnium suorum bonorum iacturam fecisse. Non igitur impunè ferent hunc summum contemptum, sed uisitabo dies illos, in quibus ipsi Idolis suis, me derelicto, ser uierunt.

Pœna externa non
satisfactoria pro peccato.

Tolerabile autem esset, si hoc loco Oseas de corporali tantum pœna loqueretur, quam Dominus regno Israelitico (cuius Oseas cōcionator fuit) per Regem Assyriorum Salmanassarum, infligit, sicut scriptum est iiii. Regum decimo septimo. Sed si rem penitus inspiciamus, manifestè cognoscemus, corporalem & externam pœnam non esse satisfactoriam pro peccato. Et si enim homo (qui est extra Christum) centies moriatur, tamen ne pro minimo quidem peccato satisfacere potest. Quodlibet enim peccatum, etiamsi leuissimum apparet coram mundo, maius est coram Deo, quàm ut possit corporali pœna expiari, Coram mundo quidem expiatur peccatum, at non coram

coram Deo, in cuius conspectu omnis corporalis pœna minor est, quàm ut satisfaciatur Iræ suæ contra peccatum. Quare cum Dominus minatur propter peccata corporalem pœnam, non hoc sibi uult, quod peccatum hac pœna expietur, sed minatur, & infligit eam, ut sit admonitio & disciplina quædam inuitans nos ad Resipiscenciam. Sic enim ait Esaia nono: Populus non est reuersus ad percutientem se, hoc est, Dominus ideo affligit populum suum, non ut afflictione expiet sua peccata, sed ut afflictione admonitus resipiscat, sicut infra capite sexto sequetur. Quicumque ergo, inquit, hac corporali pœna resipiscit, bene: si autem obduratus manserit, uisitabo in die suo æterna pœna, hoc est, pœna à corpore deriuabitur in animam, & mutabitur temporalis pœna in æternam. Etsi igitur Oseas, hoc loco tantum corporalem pœnam recenset, respicit tamen ad æternam quoque, quæ opprimet uel tandem omnes eos, qui non meliores sed deteriores ex præsentis pœna redduntur.

PROPTER HOC ECCE EGO LACTABO EAM,
ET LOQVAR AD COR EIVS, ET DABO EI VI
NEAS SVAS INDE, ET VALLEM ACHOR IN O-
STIVM SPEI, CANETQVE IBI IUXTA DIES IV-
VENTVTIS SVÆ, ET IUXTA DIEM QVO ILLA
ASCENDIT E TERRA ÆGYPTI.

Prædixit hæc Propheta de uastatione & excæcatione Israelis. Quid ergo? (obijceret aliquis) An perdet Dominus simul iustum cum impio? Et ubi manebit æquitas Dei? Nullos ne ex perditione eripiet? ubi ergo manebunt misericordie eius antiquæ? Et cur perdere illos quoque uult, qui admoniti resipiscunt, atque uerbo suo obediunt? Respondet ergo nunc Dominus per Oseam, Propter hoc ego lactabo eam, &c. hoc est: Non oblitus sum æquitatis meæ, aut misericordiarum mearum antiquarum, ut non uelim liberare ex futuris calamitatibus resipiscentes, & uitam suam iuxta mandata mea instituentes. Etsi enim Israelis impietatem ita puniam, ut primùm Gentem, & Regionem deuastaturus, postea excæcaturus, & tandem æternæ damnationi obiecturus sim, tamen opportuno tempore ad similitudinem liberationis ex Aegypto, eripiam pios, & resipiscentes, ex omnibus calamitatibus suis. Non est igitur quod resipiscentes desperent, ac animum suum de

spondeant. Minatus sum quidem per Oseam hactenus grauis-
 ma quæq; sed ijs, qui uerbum meum contemnunt, & in impie-
 tate sua perseuerant: Resipiscentibus autem, qui uerbo meo ad-
 moniti, Baal, & reliquas impietates, atque iniquitates suas abij-
 ciunt atque ex uera fide uitam suam emendant, exhibebo om-
 nem misericordiam, & planè eos ad formam liberationis ex
 Aegypto, tractabo.

Quis igitur fuit modus liberationis ex Aegypto? Principio
 misit ad populum Israel, oppressum durissima seruitute in Ae-
 gypto, seruum suum Mosen, atq; per ipsum Israelitas blandissi-
 mis uerbis lactauit, dicens: Visitans uisitaui uos, & uidi omnia,
 quæ acciderunt uobis in Aegypto. Et dixi, ut educam uos de af-
 flictione Aegypti, in terram Chananæi, Ethæi & Amorrhæi &c.
 ad terram fluentem lacte & melle. Et iterum: Dabo populo hu-
 ic gratiam coram Aegyptijs. Et cum egrediemini, non exhibitis
 uacui, sed postulabit mulier à uicina sua, & ab hospita sua, uasa
 argentea, & aurea, & uestes, ponetisq; ea super filios & filias ue-
 stras, & spoliabitis Aegyptum. Hisce inquam blandissimis uer-
 bis, & magnificis promissionibus, lactauit Dominus Israelitas,
 donec per mare Rubrum ad desertum eos perduxisset. Trans-
 gressi autem mare, cantauerunt Domino Epinicion dicentes:
 Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum &
 ascensorem deiecit in mare &c. Cum autem durissima quæq; in
 deserto paterentur, & nunc fame, nunc siti, nunc frigore, nunc
 ignitis serpentibus, & peste, nunc incursionibus hostium, alijs-
 que malis premerentur, tunc locutus est Dominus ad cor eo-
 rum, hoc est, consolatus est eos in aduersis, & gaudio cordis affe-
 cit eos, nunc enim manifestis miraculis, ut habet exemplum in
 Manna, in aqua de petra, in coturnicibus, in serpente æneo, Nunc
 uictorijs super hostes, ut in Amalecitis, & Madianitis, Nunc alijs
 beneficijs, nunc renouatione priorum promissionum adiuuit
 & consolatus est eos. Deinde transgressis nunc Iordanem, de-
 dit eis uineas, & oleas, quas ipsi non plantauerant, quemadmo-
 dum Iosua ultimo scriptum est. Adhæc ad stabiliendam fiduci-
 am, tradidit eis uallem Achor, in qua sita erat Iericho urbs muni-
 tissima. Iosua vij. quæ & mirabiliter ab eis deuicta est, & bonam
 spem eis fecit occupandæ totius terræ Canaan. De qua etiam an-
 gelus Domini ad Iosue dixerat, Solue calceamentum tuum, quia
 terra

Liberatio
 ex Ægy-
 pto, figura
 liberatio-
 nis per
 Christum.

terra in qua stas sancta est. Atq; hic ferè est modus (quantum ad hoc negocium attinet) quo Dominus liberauit Israelitas, & eis tradidit terram Canaan. Nunc igitur ait Dominus, ad eundem modum liberabo populum resipiscentem, impietatemq; suam abijcientem, ex omnibus suis calamitatibus. Et tradam ei promissam terram Regni cœlorum, & uitæ æternæ. Cùm enim uenerit plenitudo temporis, mittam filium meum Iesum Christum, qui nomine meo blandissimis, & omni consolatione plenissimis uerbis eos lactabit & alloquetur. Et quod Dominus hoc loco promisit, hoc etiam Christus fidelissimè præstitit, dicens apud Esaïam cap. lxx. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino, &c. Quis non diceret hæc esse uerba blandissima, & iucundissima? Ioan. iij. Ita Deus dilexit hunc mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Hisce & similib. uerbis blandissimis Christus filius Dei, plures ita lactauit, ut alij ipsum in desertum sequerentur, alij omnia sua bona, uxores & liberos relinquerent. Alij deniq; nulla non pericula subirent, ut essent cum Christo. Postquam uerò cum Christo in desertum uenissent, ecce omnibus periculis exponantur, Ad hunc quidem dicēs, sequere me relictis rebus. Ad illum uerò, Vade, & uende omnia, quæ possides, & da pauperibus. Mox ad alios, Si quis uenit post me, nec odit patrem, matrem, fratres, sorores, coniugem, & liberos, &c. non est me dignus, &c. Item: Veniet tempus, in quo si quis uos interfecerit putabit se obsequium Deo præstitisse. Cùm igitur Christi sectatores in tali deserto, grauissima quæq; paterentur, loquitur ad cor eorum, & consolatur eos primò dulcissimis promissionib. dicens, Qui reliquerit propter me agrum, fratres & sorores, patrem & matrem, uxorem & liberos, recipiet centuplum, & post hanc uitam æternam uitam. Et, Qui uitam suam perdet propter me, inueniet eam. Et, Beati pauperes, quoniam eorum est regnum cœlorum. Deinde uarijs signis, & miraculis. Ad hæc exaltatione serpentis ænei, hoc est, sua ipsius cruce, morte, & resurrectione, ita enim inquit. Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto. Sic exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in

ipsum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Præterea dat eis uineas suas, hoc est, largitur eis uaria beneficia, & dona, & inprimis collocat eos in uineam illam, de qua loquitur Ioannis xv. capite. Ego sum uitis uera, pater uerò meus est Agricola, omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructus plus afferat. Postremo, ut fiducia confirmarentur dedit eis uallem Achor, hoc est, quemadmodum olim Deus filijs Israel dedit uallem Achor initium possessionis, ut inde inciperent occupare terram Canaan, Ita etiam omnes in filium suum credentes primitijs spiritus, tanquam arrabone & sigillo promissionis suæ ornabit, atque incipit ipsos paulatim collocare in omnia bona cœlestia, donec eos corona cœlestis fœlicitatis coronet. Sicut ergo filij Israel cum iam ex Aegypto liberati fuissent, atque paulatim crescere cœpissent, Domino Deo suo Epinicium cecinerunt, & præ gaudio exultauerunt. Ita etiam quotquot per Christum liberantur, per omnem uitam suam cantent Deo laudes, & gratiarum actiones, quod fiet, cum in omni afflictione huius mundi lætam habuerint conscientiam coram Deo, atque ipsum uera fiducia cordis tanquam patrem, liberatorem, & auxiliatorem in omni tribulatione inuocauerint: hanc enim fiduciam Christus omnibus credentibus in ipsum impetrauit. Atque hoc modo Dominus ferè ubique suum auxilium declarat, Nempe quòd primò omnium lætet homines amplissimis suis & blandissimis promissionibus, ducatque eos in desertum paupertatis, infirmitatis, & mortis, Sed in his miserijs & desertis locis, non deserit, sed consolatur eos suo Euangelio & dono Spiritus sancti sui, quem dat credentibus per uerbum suum, donec eos plenè liberauerit, & ad terram promissam, hoc est, æternam uitam perduxerit. Si quis ergo speret æternam uitam, prius cogitet, se oportere exemplo populi Israel in deserto huius seculi uagari, Et cum premitur paupertate, infirmitate, morte denique ipsa, sciat se in deserto iam uersari, non ut pereat in eo, sed ut mox ex eo, tanquam ex Aegypto, in æternam patriam, & terram lacte & melle fluentem sit migraturus. Optimo enim iure de omni credente in Christum, qui paupertate, miseria aut morte premitur, dici potest, quòd ambulet in uia que ipsum ducat ad Regnum cœlorum.

Christiani
necesse ha-
bēt uagari
in deserto.

Sed mirabitur quis, qui fiat quòd Oseas suos auditores Respliscentes consolaturus, & adnunciaturus ipsis liberationem ex deuaftatione Rgni Israel, cõcionetur de liberatione per Christum, qui longo post tempore erat uenturus. Quid si dixissent: Quid? Tu concionaris magnificè de liberatione, quæ futura fit in Israel, Sed quia hæc liberatio in longum tempus differetur, ac tandem temporibus Mesiæ reuelabitur, quid nobiscum fiet, Et quis nos interea temporis liberabit? Timendum nobis est, ne interea, dum uenerit Mesiæ, centies pereamus & funditus deleamur? Responso, Longè aliter se res habet, cum ea liberatione, quæ per Christum fit, quàm cum liberatione hominis cuiusdam. Etsi enim Christi liberatio semel tantum & uno tempore facta est, nimirum quando passus est Hierosolymis sub Pontio Pilato præside Iudææ, tamen fructum huius Pafsionis, & liberationis eius, æquè ad omnia huius mundi tempora, ad præteritum scilicet, præsens, & futurum pertinet. Nam cum pependit in cruce, extendit unam manum usque ad Adamum primum hominem, alteram uerò extendit usque ad nouissimum hominem huius seculi, hoc est, fructus Pafsionis & liberationis Christi pertinet ad omnes omnium temporum homines. Abraham (inquit Christus Ioannis octauo) uidit diem meum & gauisus est. Et Apostolus ad Hebræos, Iesus Christus hodie & heri, & ipse est, qui est in æternum. Quicumque ergo crediderit in Christum, siue ante siue post Aduentum eius in hunc mundum, is fruitur beneficio, & fructu liberationis eius per fidem. Et quia Dominus Deus noster, sine filio suo Christo Domino nostro homines non solet liberare, factum est ut Prophetæ auditores suos in omni afflictione & metu hostium, ex Aduentu Christi filij Dei sint consolati, ut uides Esaïæ capite septimo. Cùm enim duo Reges, Syriæ & Israelis, urbem Hierosolymã obsidere uellent, Rex aut Ahas sibi ualde metueret ac auxilia externa quæret, consolatur Esaïas Regem & subditos ex Aduentu Christi, ac iubet eos bene confidere, fieri enim non posse ait, ut hostes urbe potiantur, & Regium nomen deleant, eo quòd nondum natus sit Christus de familia David, & Regum Iuda. Etsi enim nondum homo factus sit, tamen sit Regnum Iuda contra hostes defensurus, neque passurus, ut locus & genus, ex quibus est nasciturus, deuaftentur & extirpent. Vnde ait, non metuamus

Liberatio
per Christum
modo se
habeat.

Prophetæ
cur suos
sint consolati
Aduentu
Christi.

nobis, quia Emanuel nobiscum est. Simili ergo ratione Oseas hoc loco ad Resipiscentes, & ad credentes suos auditores conuocatur, & hortatur eos, ut maneat cum Christo. Et si enim nondum natus sit, tamen seruaturus ipsorum sit corpus, & animam, non tantum à præsentì, sed etiam ab æterno exitio. Nonne & nos consolamur auditores nostros afflictos morte & Resurrectione Christi, cum tamen ante sesquimille annos mortuus sit, & resurrexerit? Cum ergo nos appellamus ad fructum Passionis & liberationis Christi, longè antè præteritæ, cur non licuisset Prophetis appellare ad futuram liberationem, si quidem (ut diximus) bona eius ad omnia tempora, siue præsentia, siue futura, siue præterita pertinent.

ET ERIT IN DIEBUS ILLIS (AIT DOMINVS) VOCABIS ME VIR MEVS, NEC VOCABIS ME VLTRA BAALIM. AVFERAM ENIM NOMINA BAALIM DE ORE EIVS NEC MEMORABVNTVR VLTRA NOMINIS EORVM.

ET PERCVTIAM EIS POEDVS IN DIE ILLA CVM BESTIIS AGRI, ET CVM VOLVCRIBUS COELI, ET REPTILIBVS TERRÆ. ET ARCVM, ET GLADIVM, ET BELLVM CONTERAM DE TERRA, DORMIREQVE FACIAM EOS SECVRE.

ET DESPONSABO TE MIHI IN SEMPITERNVM. DESPONSABO TE MIHI (INQVAM) IN IVSTICIA, ET IVDICIO, ET MISERICORDIA, ET MISERATIONIBVS.

ET DESPONSABO TE MIHI IN FIDE, ET COGNOSCES DOMINVM.

Perseuerat Propheta in describendo statu plenitudinis, quo aduenturus sit uerus Messias Dominus noster Iesus Christus. Nam cum antea grauer in Israelẽ in tonuisset, & certam fore deuastationem prædixisset, ne in illis minis boni ac resipiscentes desperarent, aut existimarent, uerbum Dei de Israele seruando esse uanum, necesse fuit, ut diligentissimè describeretur tempus Aduentus Christi, ut pij certò cognoscerent Israelẽ uerum nunquam interiturum, & ipsi in præsentì sua calamitate spem liberationis ex uenturo Christo conciperent. Hoc igitur in primis hic notandum est, quòd quæ dicta hæctenus sunt de Israelis deuastatione, ad impios, obstinatos & carnales pertineant. Quæ autem nunc de Christi tempore atq; concione Euangelij eius sequuntur, ea propter pios & resipiscentes esse dicta, ut habentes consolationem ex Christo, unà cum impijs nõ perirent. Notandum

dum & hoc est (ut quod hic dicitur melius intelligatur) quod status & conditio temporis Christi (qui in hoc consistit nimirum, ut abijciantur, & derelinquantur Idola, ut in eatur pactum cum bestijs agri, adhuc ut desponsetur Israel cum Deo, postremo, ut sit pax, & tranquillitas uitæ, Et alia quædam, quæ postea recensentur) non solum de tempore quo Christus homo natus est, & de hominibus, qui tunc temporis uixerunt, sed etiam de omnibus omnium ætatum hominibus sit intelligendus. Semel quidem Christus homo est factus, atque semel tantum manifestatus, quemadmodum supra diximus, sed fructus Natiuitatis & liberationis eius non tam arctè concluditur, ut homines eo tantum tempore, quo uenit, frui eius liberatione potuerint, sed extendit se ad omnes homines, siue uixerint ante Aduentum Christi, siue uicturi sunt usque ad nouissimum diem. Quare omnes pij & Resipiscentes auditores Osee, qui fuerunt in Regno Israel, facile seipsos ex hac concione de conditione & statu Regni Christi in omnibus afflictionibus consolari & certò cognoscere potuerunt, quod propitium habeant unà cum omnibus ueris Israelitis Deum, qui sit ipsos conseruaturus & liberaturus propter filium suum Iesum Christum ex omnibus calamitatibus, etiamsi regnum Israel deuastetur, & populus per Assyriæ Regem abducatur.

Fructus natiuitatis & liberationis Christi pertinet ad omnes omnium ætatum homines.

Possunt autem exultare & in conscientia sua coram Deo letari duplici ratione. Primò quia liberabuntur (ut supra dictum est) ad formam & modum liberationis ex Aegypto, hoc est, Deus lactabit & consolabitur eos in omni afflictione dulcissimis suis promissionibus. Deinde, Quia inquit Dominus, erit in die illa (quando scilicet uerus redemptor Iesus Christus filius meus reuelabitur) auferam omnia Idolorum nomina, & non recordaberis ultra nominis eorum, Et tu uocabis me Vir meus, & non uocabis me ultra Baalim.

Conscientiæ iusticia.

Potest autem horum uerborum duplex esse sententia, uidelicet uocabis me uir meus, & non uocabis me ultra Baalim, hoc est, nominabis tu me uirum seu maritum, & non Magistrum tuum, quod cognomen odiosius & inhumanius est inter coniuges. Isch enim apud Hebræos significat Virum de quo sumpta est mulier, quam uocant Ischa. Baal autem significat quidem maritum, sed talem qui erga uxorem, duriorum & inhumana

Isch.
Ischa.
Baal.

nio rem se præbet quàm par est, & uxori suæ durissimum imponit iugum. Est igitur sensus. Tempore illo quo reuelabitur Christus, non geram me erga te Israelem spiritualem uxorem meam inhumaniter, neq; contendam, aut rixabor tecum, more tyranni, qui importunitate sua molestus est uxori, sed talem me præstabo erga te, ut cognoscas me esse uerum maritum, qui te omni beneuolentia, humanitate & dilectione, adeoq; uero atq; ardenti amore complectat. Non est inconueniens huic loco sententia ista. Altera uerò huius loci sententia potest hæc esse, Vocabis me uir meus & nõ Baalim, hoc est, coles, & ueneraberis me ultra non fictitijs tuis cultibus Baal, quos aut mutuo accepisti à gentibus, aut humana prudentia contra mandatũ meum excogitasti, & in laudem & gloriam meam perfecisti, sed honorabis me cultibus uerbo meo præceptis, & approbatis, & profus obliuisceris omnium cultuum alienorum à uerbo meo. Videtur hæc conuenientior, & melior sententia, propter sequentia uerba, Non recordaberis ultra nominis idolorum tuorum &c. retinebimus ergo eam.

Sed quia non solum apud hunc Prophetam nostrum, uerum etiam apud alios quoq; atque adeo in multis sacræ scripturæ locis crebra fit mentio alienorum deorum, præsertim uerò ipsius Baal, de quo hoc loco Oseas loquitur, opere pretiũ fortassis fecero, si quid nomine alienorũ deorum ueniat, ostendam, Atq; de origine Baal & cultu eius non nihil dicam, partim, ne quis Israelitas profus, quantum ad Idololatriam attinet, similes Ethnicis fuisse existimet, partim uerò, ut etiam de nostris cultibus diuinis rectè iudicare discamus, ut cognoscamus, qui coram Deo abominabiles, & Idololatrici sint iudicandi. Vocabulũ ergo (Deus) uariè, multisq; modis in sacris literis sumitur, quantum uerò ad nostrum propositum facit, dupliciter accipitur, Primò pro inuisibili Deo, qui administrat, implet & cõseruat omnia. Talem Deum etiam Gentes esse crediderunt & agnouerunt, sicut Paulus Acto. xvij. testatur, dicens. In ipso sumus, uiuimus, & mouemur, sicut quidam uestrorum Poetarum dixerunt. Ipsius enim genus sumus. Et extant alij quoque Poetæ. Nam hi olim Gentium Theologi fuerunt, qui docuerunt, Iouem, hoc est, summum Deum omnia implere. Iouis omnia plena, ait Virgilius, & Ouidius, Est Deus in nobis agitante calescimus illo. Ad hæc testatur Paulus

Deus, uocabulum, dupliciter sumitur.

Paulus Roman. primo de Gentibus, quòd Deum ex uisibilibus creaturis cognouerint. Ita enim ait: Quod de Deo sciri potest, manifestum est in illis, scilicet Gentibus. Deus enim reuelauit illis &c. Hunc ergo inuisibilem Deum, uarijs modis non Iudæi tantum, uerum etiam gentes coluerunt. De Iudæorum quidem cultibus diuinis postea dicemus, Gentes uerò & ipsæ suis sacris Deum inuisibilem coluerunt, sicut testatur Paulus ad Roman. i. dicens, mutauerunt gloriã incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, quadrupedum & serpentium. Et Acto. xviij. Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare, auro, & argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominis, Diuinum esse simile. Ex his testimonijs Pauli uides, Gentes, quæ olim summa sapientia & prudentia excelluerunt, non adeo stupidas, & insanas fuisse, ut existimarint auream, aut argenteam statuam, & imaginem quoque ab artifice sculptam, & elaboratam, uerum esse Deum. Viderunt enim aurum, & argentum ex terra effossa, non posse Deum esse. Statuas autem & imagines aureas uel argenteas erexerunt ideo, ut hisce uerum Deum inuisibilem, uisibili aliquo cultu uenerarentur, uel quia similitudo quædam (ut ipsi quidem existimabant) esset inter Deum, & aurum, uel quòd putauerunt, quia aurum, & argentum apud homines in magno essent pretio, placeret etiam ipsi Deo, & quòd essent imagines preciosiores, eò essent Deo accipiores. Sumitur ergo uocabulum (Deus) secundo loco in scriptura, pro cultu quoque diuino. Cultus enim, qui præstatur Deo, est quasi uisibilis Deus, Ita, ut inuisibilis Deus is sit, qui omnia implet, uisibilis autem Deus, sit externus ille, & uisibilis cultus, quo colitur inuisibilis Deus. Hunc autem cultum nomine Dei intelligi, facillè probari potest ex uerbis illis, quibus Israelitæ ab Aarone uituli aurei institutionem, & consecrationem petunt, dicentes, ut est Exod. xxxij. Fac nobis deos, qui nos in hoc deserto præcedant. Non. n. sentiendum est, quod fuerint tam stupidi, & insani, ut senserint, quod Aarõ ipsis deos facere possit. Et quæ menses humana tam stupida est ut sentiat, quod homo quispiam deos possit facere? Quare hoc loco per deos intelliguntur diuini cultus, quibus uerus Deus colitur, quasi dicerent, Cunctatur Moses frater tuus redire ad nos, neque integrum nobis est, ut sine cultibus & sacris ad terram nostram à Deo nobis promissam pergamus. Tu

Gentium
opinio de
Deo.

Deus, pro
cultu diuino.

Visuli au-
rei cultus,
qualis.

igitur Aaron doce nos, & institue aliquem cultum, & publica sa-
cra, quæ facientes, gratiam Domini Dei nostri ita mereamur, ut
tueatur, atque deducat nos incolumes ad terram, Patribus no-
stris promissam. Quòd hæc sit sententia petitionis populi, testa-
tur postea uox præconis ad populum, uitulo iam conflato &
confecto, clamantis: Cras festum Domini. Non enim dicit
Cras festum VITVLI, sed festum Domini, qua uoce palàm
significat, quòd Israelitæ uitulum non pro inuisibili Deo colu-
erint, sed quòd instituerint eum, ut hoc cultu inuisibilem illum
Deum, qui ipsos ex Aegypto eduxerat, colerent, atque hoc ipso
cultu mererentur fauorem eius. Sic & illud intelligendum est,
quod sequitur. Hi sunt dii tui ò Israel, qui te eduxerunt de ter-
ra Aegypti. Non enim sentiendum est, quòd crediderint se ex
Aegypto à uitulo aureo esse liberatos, nondum enim eo tem-
pore, quo egrediebantur ex Aegypto, erat conflatus, & confe-
ctus, & quæ fuisset hæc insania, sentire quòd uitulus mortuus
Israelitas non solum in deserto tueri, uerum etiam incolumes
ad terram Canaan perducere possit? Sed hoc uoluerunt sibi,
quòd merito huius diuini cultus, quem Aaron nomine ipso-
rum in honorem, & gloriam ueri Dei instituisset, possint in de-
serto tuti esse, & incolumes tandem ad terram promissam per-
uenire.

Et si autem scriptura postea dicit Israelitas uitulo aureo sa-
crificasse, tamen non aliter intelligendum est, quàm quòd a-
pud uitulum aureum (iam ad diuinum cultum consecratum)
ipsi uero Domino Deo suo sacrificauerint. Scriptura enim i-
deo sacrificium hoc, uituli aurei sacrificium uocat, quia ac-
commodat se ad animum & iudicium Dei, qui hoc sacri-
ficio non aliter abominatur, quàm si ipsi uitulo fuisset ob-
latum.

Pauli testi-
monium,
2. Thessa. 2.

Audiamus etiam testimonium Pauli Apostoli. Nam & ipse
Nomine Dei, pro diuinis cultibus & sacris in ij. Epistola ad
Thessalon. capite secundo usus est. Ita enim ait. Filius perditionis
extollitur supra omnè quod dicitur Deus, aut quod COLL-
TVR. Quomodo autem homo se supra inuisibilem Deum ex-
tollere potest? Quare, quòd dicit Antichristum siue fili-
um perditionis, se extollere supra Deum, nihil aliud est, (sicut
ipse Paulus interpretatur) quàm quòd extollat se supra omnes
cultus

cultus diuinos, hoc est, sumat sibi potestatem, qua pro sua libidine instituire & abrogare diuinos cultus possit. Vnde, cū quis uerum & à Deo præscriptum cultum præstat, dicitur uerum Deum colere. Is uero, qui cultum diuinum humana prudentia & intentione confectū, aut exemplo alicuius sancti absque uocatione Dei præstat, dicitur alieno Deo seruire & Idololatriæ adherere.

Et nos in quotidiana uita & usitata forma loquendi utimur hoc nomine Dei pro cultibus diuinis. Cū enim peregrè proficiscimur ad amicos nostros, & illi nos hortant, ut unà cum ipsis ingrediamur Templum eorum, respōdere solemus, nobis non esse integrum, ut adoremus alienos Deos, Quo responso nihil aliud uolumus, quàm quòd contenti simus domesticis nostris sacris, neq; curare sacra illa quæ alibi sunt in usu.

Ex his (ut spero) manifestè apparet, Quòd Iudæi suum Baal non pro inuisibili, & uero Deo coluerint, sed quòd Baal fuerit diuinus apud eos cultus, quo inuisibilem & uerum Deum uenerati sint. Dicamus igitur deinceps de origine huius cultus.

Initio autem, (quod etiam D. Hieronymus annotauit) obseruandum est, quòd Baal, & Bel unum & idem sint Idolum. Et si enim uocabulum Bel caret litera Ain, qua alterum uocabulū Baal scribitur, tamen quia Hebræi sæpius Ain pro E Latino legunt, fit, ut cum Baal sine puncto scribitur, pro Bel legatur, unde fit ut Baal, & Bel unius, & eiusdem Idoli (ut diximus) nomina sint. Deinde cognoscendum quis fuerit Baal, siue Bel. Et scribit Berofus, Quòd Bel, qui alio nomine Iupiter uocatur, fuerit filius primi Regis Babylonix, nomine Nimrotus, uel Saturnus. Is igitur Belus reliquit post se filium Ninum, à quo ciuitas Niniue nomen accepit, qui cum defuncto patri in Regno successisset, patri suo Belo statuam siue imaginem erexit, apud quam sacros suos cultus, quos à maioribus suis acceperat, peregit. Et cū processu temporis cultus ille apud statuam Beli auctus, atq; uarijs cetemonijs iuxta externam speciem plausibilibus, ornatus fuisset, cœperunt reliquæ gentes non solum admirari, uerum etiam imitari, & Deum tali ritu colere. Et quia Regibus Babylonicis, qui tum temporis potentissimi Monarchæ erant, talis cultus placuit, putauerunt Gentes huic Re-

Baal & Bel
unum & idem
idolum.

Ninus.

gno subiectæ, suarum esse partium, ut & ipsæ tali cultu delectarentur, solet enim ferè uulgus Religionem Magistratus sui imitari.

Moabitæ.

Postea hic cultus Baal, etiam ab alijs Gentibus receptus & obseruatus fuit. Legimus enim Numeri uigesimo secundo, quòd Rex Moabitarum prophetam duxerit ad extrema Baal. Ex quo manifestè apparet quòd Moabitæ cultum Baal siue Beli receperint.

Achab cultor Baaliticus precipuus.

Postremò ad Israelitas quoque migravit, & ab ipsis summo studio celebratus fuit. Videntes enim apud Gentes omnia sacra summa deuotione peragi, cœperunt & ipsi paulatim eum recipere, & iuxta exemplum Gentium hoc cultu uenerari uerum Dominum Deum suum. Donec tandem Rex Achab propria collegia, & sacerdotes huic cultui institueret, qui nihil aliud agerent, quàm ut Deo hoc cultu seruirent. Nam quod fuerit cultus alienus & à Gentibus mutuo acceptus, ostendunt uerba Osee dicentis: Non uocabis me Baalim, sed uir meus, hisce enim uerbis aperte ostendit Iudeos Deum uerum uocasse Baal, & ipsum hoc cultu Baalitico coluisse.

Modus & forma cultus Baal.

Modus autem & forma huius diuini cultus, quantum quidem ex sacris literis colligi potest, talis fuit. Initio enim habuerunt imaginem Beli, prope quam sacrificabatur, & cremabatur uaccæ, interdum quoque liberi, sicut Ieremiæ capite decimonono scribitur. Deinde sacerdotes interea dum sacrificia ardebant, transliebant Altare, in Dei honorem exultantes. Adhuc, quòd maiorem præstarent cultum Deo, incidebant se cultris, atque adeo speciosissimus, ac Religiosissimus omnium (uti ipsis uidebatur) cultus erat. Hæc (inquam) ex scriptura cognosci possunt.

Herodotus de cultu Aegyptiorum diuino.

Herodotus autem libro ij. facit mentionem cuiusdam cultus apud Aegyptios usitati, Qui ad hunc ferè modum sit obseruatus. Postquam ieiunauerunt (inquit) pridie festi, atque obdormiuerunt, uaccam immolant, eamque corio exuunt, & tota aluo uacuant. Intestina intra uentrem, adipemque linqunt, crura truncant, & externos lumbos armosque, ac ceruicem. His actis reliquum deinde uaccæ corpus stipant panibus puris & melle & uua passa, & ficis, & Thure, & myrrha, atque alijs odoribus. Vbi hæc infarferunt, adolent, multum uini, oleique infundentes,

Ieiuni

ieiuni tamen priusquam sacrificent. Dum sacrificium ardet, omnes uerberantur, postquam epulauerunt, dapes ex sacrificij reliquijs proponuntur, &c. Vtrum uerò hæc forma cultus diuini ex Babylone in Aegyptum translata sit, uel non, Et an sit cultus Baal, siue alius, incertum est. Hoc uerò certissimum est, hunc quem Herodotus descripsit cultum, summum, & præcipuum apud Aegyptios fuisse. Et uerisimile est, quia sacerdotibus tempore oblato sacrificij uerberati fuerint, quòd hic cultus mutuo acceptus sit à sacrificio & cultu Baalitico: Sed ut cunque se hæc habeant, uerisimium tamen hoc est (quemadmodum Oseas ostendit) quòd Iudæi uerum & uiuentem Dominum Deum, hoc cultu uenerati sint, atque coluerint. Nemo autem miretur, quòd computetur inter Idololatrias & alienos Deos. Suprà enim ostendimus, quòd omnes cultus diuini extra, & contra Verbum Dei instituti, etiamsi celebrentur in honorem & laudem Dei, dicantur, & sint Alieni dij, & Idololatria. Probari hoc (quòd diximus) potest testimonijs scripturæ, præsertim ex historia Sauli Regis, quæ extat i. Regum capite xv. Cùm enim Saul contra præceptum Domini pepercerat optimis gregibus ouium, & armentorum, & uniuersis quæ pulchra erant, ut immolaret Domino Deo suo in Gilgalis, non solum reprehenditur à Propheta Samuele, uerum etiam sacrificium eius, quòd Deo statuerat in gratiarum actionem offerre, uocatur peccatum Ariolandi, & scelus Idololatriæ. Ita enim ait: Melior est obedientia, quàm uictimæ, & auscultare, magis quàm offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare, Et quasi scelus Idololatriæ, nolle acquiescere. Cur quæso sacrificium Sauli uocant Idololatriæ scelus? An non sacrificauit ipsi Deo, & declarauit hoc sacrificio gratum suum erga Deum animum? Ideo Idololatria dicitur, Quia contra mandatum Domini sacrificauerat. Omnis enim cultus diuinus, qui non continet in se Verbum & præceptum Dei, habet intra se latentem Idololatriam, etiamsi homines ad honorem, & gloriam nominis diuini instituerint. Vide mihi excelsa apud Israelitas, An non in his, uero Deo sacrificauerunt & seruiuerunt? Sic enim scribitur se cūdo Paralip. cap. xxxiiij. Attamen adhuc immolabat populus in excelsis Domino Deo suo. Et iiiiij. Reg. decimo octauo, dicit Rabsaces ad Legatos Regis Hiskia:

Alieni dij,
cultus extra uerbum instituti.

Saulis sacrificium cur uocetur scelus Idololatriæ.

Excelsa Israelitarum.

Cultus ido-
latriæ
qui:

Quòd si dixeritis mihi, in Domino Deo habemus fiduciam, Nonne est iste, CVIVS abstulit Ezechias excelsa & altaria, & præcepit Iude, & Ierusalem, Ante altare hoc adorabitis in Ierusalem? Ex quibus uerbis colligitur, quòd Iudæi uero Domino Deo suo in excelsis sacrificauerint. Cur igitur (inquis) reprehenduntur à Prophetis. Et cur hæc sacrificia uocantur Idololatriæ? Ideo reprehensâ sunt, quia non placent Deo sacrificia, quæ ipse non præcepit. Quicquid enim non est ex fide, peccatum est. Nullus autem cultus diuinus humana prudentia excogitatus, aut à gen- tibus acceptus ex fide fieri potest, quia sunt instituti extra & con- tra Verbum Dei, quo solo uera fides semper nititur. Impij igitur & Idololatriæ sint necesse est. Nam si talis cultus qui propria adinventione & intentione (ut loquuntur) Deo præstatur pius & Deo acceptus esset, sequeretur crudelitatem illam, qua Impij Apostolos Christi trucidarunt, Deo quoque acceptam esse. Testatur enim Christus Ioannis xvj. fore ut qui interficiant Aposto- los existiment se cultum præstitisse Deo.

Habes qui sint dij alieni & cultus diuini ad laudem quidem Dei instituti, sed non à Deo præcepti. Et quòd Iudæi Deo quidem uero seruiuerint cum suo Baal, sed fuerit coram Deo abominatio & Idololatria.

Seruans igitur Dominus cœptam Metaphoram de Matrimonio ait, Non uocabis me Baalim, sed uir meus, id est, Tempore Aduentus Christi filij mei, uel cum cœperis uera fide complecti filium meum Christum, non coles me ficticijs sacris, sed ueris. Auferam enim memoriam Baal, & omnium Idolorum, ut ne nominis quidem eorum amplius recorderis. Quod Christus apud Ioannem totidem ferè uerbis sic explicat. Veniet tempus, quando nec Ierosolymis, nec in hoc monte adorabitis patrem, Sed uenit hora, & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & ueritate, hoc est, efficiemini per me filij Dei, & ideo in Spiritu inuocabitis Patrem, dicentes Abba Pater. Qui enim Christum agnoscit, & in eum credit, obliuiscitur omnium Idolorum & fictitiorum cultuum, & instituit uitam suam iuxta solius Dei Patris sui præceptum & uoluntatem. Qui autem adhuc ficticijs sacris, Misa scilicet Papistica, peregrinationibus ad sanctorum statuas, Monastica uitæ & alijs id genus humanis figmentis in conscientia sua adhæret, illisq; tanquam meritis

meritis fedit, non potest uerè dicere, se in Christum credere, si enim crederet in Christum uerè, ualediceret omnibus hisce Idolis, & electicis sacris.

Quid amplius (inquis) fiet tempore Christi? Percutiam inquit Dominus, eis foedus cum Bestijs terræ, & cum uolucris coeli, & cum reptili terræ. Et arcum & gladium, & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter. Sumpta hæc sunt uerba ex Leuit. cap. xxvj. ubi ita ait Dominus, absque pauore habitabitis in terra uestra, dabo pacem in finibus uestris, dormietis, & non erit, qui exterreat: Auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos uestros. Hæc uerba mutuatur Oseas, & ostendit, qualia beneficia Deus per Christum, ueris Israelitis, hoc est, credentibus conferat. Percutit nobis foedus cum bestijs agri, ne nobis noceant. Hoc quid aliud est, quàm quod Paulus ad Roman. viij. scribit. Scimus quòd diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Et Esaïas cap. undecimo, Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit, uitulus & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Et capite secundo: Constabunt gladios suos in uomeres, & lanceas suas in falces, non enim leuabit gens contra gentem gladium, neque exercebuntur ultra ad prælium. Sed quid est quod Prophetæ de mutatione feritatis bestiarum uaticinantur? Habitant ne lupi & oues apud Christianos simul? Aut non possunt illi in Christianorum numero esse qui bella gerunt? Respondeo, Describitur his uerbis Oseæ, & Esaïæ non Mundanum Regnum, sed Regnum Christi, quod non est regnum Mundi, sed conscientia, & indicatur pax & tranquillitas Conscientia coram Deo, qua nihil est in hac terra beatius. Vnde Salomon ait, securamens quasi iuge conuiuium. Imò conscientia tranquillitas superat omnes diuitias, Potentiam & Maiestatem huius mundi. Conscientia enim illa quæ per Christum certificatur, quòd nihil neque in cœlo, neque in terra, neque infra terram nocere aut damnum aliquod foelicitati animæ suæ afferre possit, repleta est omni pace, & gaudio, Non metuit sibi à paupertate, quia scit se in Christo omnes diuitias possidere. Non abhorret ab infirmitate corporis: scit enim, quòd quanto magis corpus morbis deficiat & corrumpatur, tanto magis internus homo renouetur. Non exterretur exilio, quia scit Domini esse terram & omnem plenitudinem eius.

Beneficia
& foelicitas
regni Mes-
sias.

Conscien-
tia tràquil-
litas unde
& quan-
tum bonū.

Non pertimescit infamiam, quia beati estis si uos persecuti fuerint homines propter nomen meum. Non timet Turcam, aut alium quendam hostem, quia non cadit capillus de capite uestro sine uoluntate Patris uestri. Non Mortem, quia audit Christum dicentem. Qui seruauerit sermonem meum, non gustabit mortem in aeternum. Non Diabolum, quia Princeps huius mundi eiectus est foras. Non peccatum, quia per Christum expiatum est. Non Infernum, quia per Christum extinctus est, ita ut non possit electos retinere.

Metuere secundum carnem, & secundum conscientiam.

Breuitate, quia Christiani solum Dominum Deum suum per Iesum Christum uenerantur & metuunt, non ultra sibi neque à bestiis, neque à uolucris, neque ab homine, neque ab ipsa morte & Satana in conscientia sua metuunt. In conscientia sua, inquam, non metuunt sibi ab eis. Fieri enim potest, ut secundum carnem ab eis horreamus: hæc, n. est natura carnis, ut dolat. Metuere autem secundum carnem naturalis est affectus inhaerens pariter pijs, & impijs, quemadmodum etiam in ipso filio Dei uidemus: præ timore namque mortis in monte Oliueti sanguinem sudauit, & cupiuit (absque tamen peccato) euitare mortem. Secundum conscientiam autem metuere, est sibi inde à morte & inferno timere, quia putamus hæc nostræ salutis & foelicitatis nocumentum allatura. Atque oritur quidem hic metus ex peccato, sed quia Christus peccatum sua morte expiauit, reddidit eo ipso omnes in ipsum credentes tranquillos in sua conscientia, ut non amplius metuant mortem & Infernum, sed securi atque ab omnibus curis liberi sub sua ficu & uite sua habitent.

Lupi & oves quò simul habitent apud Christianos.

Ex hac autem securitate non sequitur, quòd apud Christianos nos lupi & oves simul debeant habitare, aut quòd prohibitum sit Christianis, iusta & legitima bella gerere. Sed quòd lupo Christianorum siue credentium commodo, & foelicitati equè inferuire debeat, atque ouis. Etsi enim bestia adhuc retinet suam feritatem & immanitatem, tamen quia peccatum est expiatum, non possunt esse maledictio, aut nocumentum inferre his, qui sunt Iesu Christi per fidem. Ad hæc, etsi Christiani bella gerunt, non tamen faciunt hoc, ut Christiani: quatenus enim Christiani sunt, cum omnibus hominibus pacifice uiuunt, sed tanquam Magistratus à Deo ordinatus, aut tanquam subditi, qui iussu magistratus sui arma arripiunt, atque iniustam uim propulsant. Si quis opifex aut

aut Agricola agnoscit Christum per fidem, iubetur tanquam Christianus gladium suum conflare in uomerem, & suam uocationem in tranquillitate, quantum quidem ad Christianismum attinet, sectari, Sed quantum attinet ad officium subditi, & ciuis, qui est in corporalibus rebus subiectus mundano Imperio, iubetur, si Magistratus mandauerit, uomerem in gladium conflare, arma gestare, & patriam defendere.

Præterea tempore Aduentus Christi, Sponsabo (inquit Dominus) te mihi in fide, & scies, quia ego Dominus &c. Quid quæso potuisset Deus per filium suum Iesum Christum Dominum nostrum maius, & excellentius promittere, quàm quòd pollicetur, se credentem propter Christum filium suum in uxorem ducturum? Quid denique maius potuisset Christus efficere, & impetrare, quàm quòd Deum & hominem credentem Matrimonio quasi iunxerit, & copulauerit. Vide enim mihi, quæ sint conditiones Coniugij, & legitimi Matrimonij, & intelliges quanta beneficia credenti, per Matrimonium illud, quo per Christum ipsi Deo iunctus est, offerantur. Bona enim Coniugum sũt communia. Quæ mariti sũnt, sũnt uxoris, quæ uxoris, sũnt mariti. Quid autem habet homo? Nihil præter peccatum, quod tanquàm dotem ad hoc matrimonium affert. Quid uerò Dominus Deus noster habet? Omne Bonum, & fœlicitatem ipsam. Igitur cum hæc Bona hominis credentis & Domini Dei nostri congerunt, tunc peccatum misericordia & clemẽtia Dei nostri per Christum absorbetur, & confirmatur denique Matrimonium hac conditione, ut peccatum sit remissum, & fiat credens omnium bonorum Dei particeps, ut ijs tanquàm proprijs suis bonis utatur.

Matrimonij
conditi
ones.

Quomodo autem fiet hæc desponsatio? Vulgo dici solet, in copulandis nouis Coniugibus, uanos mendaciorum plenas asportandas esse. Sed longissimè absit ab hac desponsatione omnis impostura, fraus, dolus, & mendacium. Neq; sit desponsatio talis, qualis esse solet leuium hominum, qui post celebratas nuptias mutuo se deserunt, sed durabit hæc desponsatio in sempiternum. Desponsat enim Dominus Deus noster per Christum filium suum, sibi suam uxorem omni ueritate, clementia & misericordia, & promittit ei sempiternam fidem. Omne enim id quod Dominus promittit, tanta firmitate & constantia præstat,

Desponsatio
creden-
tis cū Deo
per Chri-
stum, quo-
modo fiat.

ut potius cœlum atque terra perirent, quàm minima litera de promissione eius intercideret. Quis enim separabit (inquit Paulus) nos à charitate Christi? tribulatio, an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum enim, quòd neque mors, neque uita, neq; angeli, neque principatus, neque uirtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profunditas, neque creatura alia, poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu. Festinemus ergo per pœnitentiam ad talem maritum, & coniungamur ei, ut cum ipso æterna scœlicitate fruamur, & nunquam formidemus aduersa.

Postremò, quod additur: Et scies Dominum &c. Quid aliud est, quàm si diceret, Habebis uitam æternam, sic enim interpretat Christus Ioan. decimo septimo dicēs: Hæc est uita æterna, & cognoscant te uerum Deum, & quem misisti filium tuum Iesum Christum. Per Christum enim cognoscitur Deus, iuxta illud Ioannis, Deum nemo uidit unquam, unigenitus autem, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis.

ET ERIT IN DIE ILLA, EXAUDIAM, DICIT DOMINVS. EXAUDIAM, INQVAM, COELOS, ET IPSI EXAUDIENT TERRAM.
TERRA VERO EXAUDIET TRITICVM, ET VINVM, ET OLEVVM, ET HÆC EXAUDIENT IPSVM IEZRAEL. ET SEMINABO EAM MIHI IN TERRA, MISEREBORQVE EIVS, QVÆ DICTA EST (ABSQVE MISERICORDIA) ET DICAM NON POPVLO MEO, POPVLVS MEVS ES TV, ET IPSE DICET, DEVS MEVS ES TV.

Dixit Propheta Dominum in die illa, quando uenerit plenitudo temporis, & reuelatus fuerit Christus, sibi desponsaturum Ecclesiam credentium. Nunc igitur quid amplius beneficiorum post despōsationem Israeli electo conferre uelit, describit. In die illa (inquit Dominus) exaudiam cœlos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet triticum &c. Sed quid hoc? Nunquid cœlum, terra, Triticum, oleum, & uinum, ad Dominum clamant, & Dominus precibus eorum benignas aures præbet? Respondeo. Non sanè sic clamant, quemadmodum nos homines ore clamare solemus, Sed clamor eorum sic se habet. In Lege Leuit. uigesimosexto dicitur, Si non audieris uocem Domini Dei tui, dabo cœlum desuper sicut ferrum, & terram æneam, Consumetur

Clamor
creaturarū
qualis.

Consumetur incassum labor uester, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt. Et Ieremiæ tertio. Polluisti terram in fornicationibus tuis, & in malicijs tuis. Quamobrem prohibita sunt stillæ pluuiarum, & serotinus imber non fuit &c. His enim rebus Deus iram suam super peccatum de cælo declarat, uidelicet, quòd non pluat, sicut tempore Helix Propheta, Quare cum terra arefcit, ut præ siccitate dehiscat, dicitur clamare ad Dominum pro pluuiâ, quemadmodum etiam sanguis Abel olim de terra ad Dominum clamauit.

Contrà uerò de propitio & placato Deo dicitur: Si audieris uerba mea & ambulaueris in uijs meis, abundare te faciam omnibus bonis, fructu uteri tui, fructu iumentorum tuorum, fructu terræ tuæ, quam Dominus daturus est tibi. Item dabo tibi pluuias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur, &c. Itaque cum Dominus rursus facit pluere cælum, & terram germinare, ac uinum & frumentum crescere, dicitur hæc omnia exaudire. Quod ergo Propheta hic dicit, tale est, Deus non affliget credentes in Christum fame, sed siue sint in Iezreel, hoc est, in Regno Israel, siue in alijs locis terræ, fruuntur tamen omni benedictione Dei abundantissimè. Breuiter, erit Deus ipsis propitius, & benedicet omnibus operibus manuum ipsorum. Hæc autem omnia per Christum sunt impetrata, ipsique omnia accepta sunt ferenda. Sicut scriptum est, De plenitudine eius accepimus omnes.

Ex hoc loco uidemus maximam auctoritatem qua præditus est is, qui credit in Christum. Pro eo enim clamat cælum ad Dominum, clamat terra, clamat triticum, uinum, & oleum, suo tamen modo, qui soli Deo cognitus est, imò etiam angeli, sicut testatur Christus Lucæ decimo quinto, gaudent super uno peccatore poenitentiam agente. Et adhuc maiora indicat Paulus Roman. octauo. Omnis creatura congemiscit & expectat reuelationem filiorum Dei &c. Nihil ergo nobilius in terra uiuit eo, qui in Christum credit, siquidem omnes creaturæ in cælo & in terra ipsum uenerantur, eiq; seruiunt.

Sed obijcies, si pijs respicientibus, siue in Christum credentibus tanta beneficia promittuntur, cur miserimi in hac uita sunt omnium hominum? In Christo enim incepit miseria, ab ipso in Apostolos dimanauit, ab illis uerò deriuatur in omnes,

Pij seu credentis auctoritas.

Credentes cur tot miserijs obruantur.

qui piè in Christo uiuere cupiunt? Nunquid igitur mendaces sunt promissiones diuinæ? Absit. Omnis homo mendax, Deus autem solus est uerax. Sed quòd tot miserijs obruuntur credentes in Christum, suæ sunt causæ. Initio enim affliguntur in hoc mundo, ut probetur eorum fides, an sit uera, & in aduersitate constans. Deinde ne prosperitate fortunæ uetus Adam incipiat luxuriari, & ad pristina peccata relabi. Postremò, ut miserijs & calamitatibus huius seculi admonerentur restare post hanc, aliam uitam. Quia enim Deus pollicitus est resipiscentibus, siue credentibus prosperam fortunam, experiantur autem aduersissimam in hoc seculo, sciantque Deum esse ueracissimum, certissimo argumento concludunt, futuram esse uitam, in qua omnes huius uitæ ærumnæ constanti atque perpetua foelicitate compensabuntur.

ET SEMINABO MIHI EAM, Non solum beneficijs eam afficiam, sed etiam multiplicabo uerum Israel: multiplicabo autem per Christum, sicut arenam maris, & stellas cæli, & congregabo eos ex Iudæis, & gentibus. Atque hoc quidem tempore uocantur Iudæi, Non miserata, sed tempore Christi miserebor eorum, atque ex eis eligam mihi filios Dei. Gentes uocantur nunc, Non populus meus. At per Christum dicam ad eas, populus meus es tu. Et ipsæ dicent ad me, Tu Deus meus. Non intelligendum autem est hoc de oris simplici dictione, sed de fidei sermone, de quo Paulus loquitur: Omnis qui nomen Domini inuocauerit saluus erit.

Hoc autem DICERE, quid aliud est, quàm summa foelicitas? Et quid potuisset Christus nobis maius præstare, quàm quòd nunc deinceps Deum tanquàm Patrem & Deum nostrum audemus, & possumus inuocare? hac enim inuocatione testatur Fides, quòd Deus nobiscum sit. Si ergo Deus pro nobis, quis contra nos? qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo igitur non cum ipso omnia nobis donasset?

Habemus iucundissimam, atque omnis generis consolationis plenam concionem de aduentu & Regno Christi, qua Oseas suos auditores, propter futuram deuastationem regni Israelis perterritos, consolatur. Ostendit enim, quòd etsi carnalis Israel propter peccatum per Assyriæ regem deuastandus & abducendus sit,

Dei ut Patrem inuocare.

fit, tamen Deum liberaturū & conseruaturū uerum, electum & spūalem Israelem, ex omnib. calamitatib. ad ueram fœlicitatem.

CAPVT III.

ET DIXIT DOMINVS AD ME, ADHVC VADE, ET DILIGE MVLIEREM DILECTAM AMICO ET ADVLTERAM, SICVT DILIGIT DOMINVS FILIOS ISRAEL ET IPSI RESPECTANT AD DEOS ALIENOS, ET DILIGVNT VINACIA VVARVM. ET FODI EAM MIHI QVINDECIM ARGENTEIS, ET CORO HORDEI ET CORO DIMIDIO HORDEI, ET DIXI AD EAM, DIES MVLTOS EXPECTABIS ME. NON FORNICABERIS, ET NON ERIS VIRO, SED ET EGO EXPECTABO TE. QVIA DIES MVLTOS SEDEBVT FILII ISRAEL SINE REGE ET SINE PRINCIPE, ET SINE SACRIFICIO, ET SINE ALTARI, ET SINE EPHOD ET SINE THERAPHIM, ET POST HÆC REVERTENTVR FILII ISRAEL, ET QVÆRENT DOMINVM DEVM SVVM ET DAVID REGEM SVVM, ET PAVEBVT AD DOMINVM, ET AD BONVM EIVS. NOVISSIMO DIERVM.

In prioribus duobus capitibus, & signis, & uerbis declaratum est, Dominum reiecturum Israelem carnalem, primum de uastatione per Salmanassar. Deinde excæcatione per Christum, Sed hæc utcunque carnali Israeli accidant, tamen ostensum est, Spiritualem Israelem, usque adeo non defecturum, ut potius colligendus ueniat tam ex Iudæis, quàm ex Gentibus, & fiat numerus uerorum Israelitarum sicut arena maris, propter quos Dominus exaudire uelit cœlum, terram, triticum, uinum, & oleum, hoc est, uelit eos omni genere beneficiorum afficere. Et hæc quidem ueris & spiritualibus Israelitis contingent. Quid autem (inquies) fiet de Israele carnali, post Regni Israelis deuastationem, & post eorum sub Christo excæcationem? An omnino delebitur, ut ne reliquie quidem supersint? Fieri enim non posse uideat, ut Deus hunc populum, quem ab initio sibi in peculiarem populū elegit, & ex quo tot orti sunt Patriarchæ & Prophetæ, Ex quo item iuxta carnem natus est saluator mundi Dominus noster Iesus Christus, in sempiternum abijciat? Hanc quæstionem, seu dubitationem tertium hoc caput soluit, tum signo, tum uerbis, docens quid de Israele carnali post reiectionem ipsius futurum sit. Ait enim Dominus ad Oseam, Vade dilige mulierem à proximo adamatam & adulteram, & sic dilige, quemadmodum Dominus diligit filios Israel, hoc est, facto illo tãquam manifesto signo declara, quomodo filij Israel à Domino dili-

Adultera, si
gnū carna-
lium Iudæ
orum.

gantur. Est autem meretrix Adultera commo dum Israelitarum carnalium signum, nec merentur honestiori mulieri aut Matronæ comparari. Etenim quemadmodum Adultera relinquit legitimum suum maritum, & adhæret fornicatori. Ita & filij Israel relinquunt uerum Deum & adhærent dijs, hoc est, cultibus, uerbo Dei nullo modo præceptis, sed potius prohibitis, cum quibus fornicantur, diligentes non Deum uerum. Vnde postea fit, ut securi genio suo indulgeant, conuiujs studeant, atque se uino noctelque diesque ingurgitent, & omnino uentrem pro Deo suo colât, quasi re bene gesta, si futura calamitate omnino non afficiant. Etsi uerò Idololatria atq; impietate longè à merito suo recesserunt, Nihilominus tamen (inquit Dominus) ad amabo eos, & in nouissimis temporibus eorum miserebor, Tu ergo Osea, Dilige mulierem meretricem, ut hoc signo cognoscant me uel tandem recepturum ipsos in gratiam. Quanto autem stupore existimas Prophetam hoc mandatum de diligenda meretrice accepisse? quàm graui putas animo obedisse? Inciderunt procul dubio uariæ cogitationes. Quid facias? Quo te uertes? Antea iussus fuisti ducere uxorem fornicariam, & maximo famæ tuæ discrimine, illud quicquid fuit oneris subiisti: Nunc uerò præcipitur tibi ut assumes in tuum contubernium adulteram. Quis tandem malus genius te tot meretricibus uexare solet? Quid dicent de te Israelitæ tui, quibus concionaris? Certè blasphemabunt & nomen tuum, & uerbum Domini: Dicent procul dubio, prophetas omnes esse homines sceleratos, Ex fructibus enim eorum cognosci posse, quales sint. Iam, etsi dixeris te honestè cum tua meretrice cohabitare, tamen non credent tibi, sed respondebunt, cur ergo adamasti eam? An nescis quòd sit ab omni mala specie abstinentium? Contrà si non obedieris uoci Dei, actum erit de uita, & perpetua tua foelicitate. Quid facias ergo, aut, quo te uertas? Sed bono sis animo, & obedias Domino Deo tuo. Melius enim est amittere humanam gloriam & famam, quàm diuinum fauorem. Qui offenditur, offendatur sanè hac mea obedientia. Iussis enim diuinis est obsequendum. Vadit igitur Osea, iuxta quod ei mandatum erat, & conducit sibi adulteram, quindecim argenteis, & coro cum dimidio hordei, qui iuxta nostram mensuram continent ferè quinquaginta modios. Gomer enim apud

Gomer.

Hebræos

Hebræos triginta unum, apud Athenienses autem quadraginta unum continet modios. Et est maxima differētia inter Gomer, cuius hoc loco fit mentio, & inter Gomer de quo Exod. decimo sexto. In Exodo enim scribitur Gomer alia litera, in principio uocis, quæ hoc loco, & significat mensuram frumenti, quam unus homo quotidie absumere potest. Tot ergo modijs (in quibus) conduit sibi Oseas Adulteram, eique prospicit, ut habeat, quo se sustentet. Conduit autem ipsam hac conditione, ut diebus multis sic habitet & ipsum expectet, nec cuiquam uiro commisceatur, sed & seipsum similiter eam expectaturum pollicetur.

Cum autem considerare uouerimus, quæ fuerit mens Prophetæ in conducenda Adultera, uidemus fornicationem eius fuisse sanctam, & nullo modo uituperandam. Conduit enim eam mandato diuino, atque hoc consilio retinuit, non ut impudicè cum ea uiueret, sed ut ad pudicitiam eam conuerteret. Sicut & Christus filius Dei amat peccatores, non ut approbet ipsorum peccata, sed ut ad pœnitentiam reuocet.

Sed quid hoc mandatum Dei sibi uult? quid significat, aut quid eo adumbrat? Sequitur, Quia dies multos sedebunt filij Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, sine Ephod, & sine Theraphim, &c. Hæc libenter sic interpretarer ac si impleta essent in Israel, quantum quidem ad primam partem attinet, de deuastatione Regni Israelis per Salmanessarem, quantum autem ad posteriorem partem attinet, de tempore prædicationis Euangelij de Iesu Christo.

His. n. temporibus fuerunt Israelite, præsertim decem tribus, per Salmanessarem dispersi inter alias gentes, & caruerunt Rege, Principe, sacerdotio, & alijs, quorum hic fit mentio, Donec apostoli in omni terra Euangelium de Iesu Christo prædicarunt. Tunc enim multi conuersi sunt ex Israelitis, qui Christum ex semine Dauidis natum agnouerunt, & in ipsum crediderunt. Sed aliò uocat me autoritas Apostoli Pauli, qui ad Romanos, capite undecimo gentes, quæ ad Christianismum conuersæ fuerant, hortatur, ne gloriantur aut animo efferantur, sed in timore Dei ambulent, & non contemnant Iudæos, tanquam profus à Deo abiectos. Nam & si hoc quidem tempore recisi, & abiecti sint, propter incredulitatem, tamen Deus possit eos denuò inserere. Nam si Deus Gentes, ex naturali

Fornicatio
sancta Pro-
phetæ.

Filij Israel
quando fu-
erint sine
Rege, sine
sacrificio,
&c.

Iudæi in-
creduli nõ
sunt contē-
nendi.

Cæcitas cõ-
tigit Israeli
ex parte.

oleastro excisas, contra naturam, in bonam oliuam inseruit: quanto magis inferentur Iudæi, qui secundum naturam sunt suæ oliuæ? Ita enim ait Apostolus, Nolo uos ignorare fratres mysterium hoc (ut non sitis uobis ipsis sapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret, &c. Hisce uerbis Paulus aperte significat, quòd ante nouissimum diem, quando scilicet numerus filiorum Dei ex Gentibus eligendorum completus fuerit, Iudæi & ipsi tandem Christum agnitori & in ipsum credituri sint.

Iudæi con-
uertendi
ad Domi-
num.

Possunt etiam hæc uerba Oseæ (meo quidem iudicio) intelligi, partim, de tempore illo, quo cœperunt Christus, & Apostoli prædicare Euangelium, partim autem, atque præcipue de illo tempore, quod nouissimum huius mundi diem præcedet. Est igitur hæc Prophetæ sententia. Filij Israel dispergentur post aduentum Christi inter omnes Gentes, Ita ut neque Regem neque Principem habituri sint è sua gente: habebunt quidem, sed alienos, quos agnoscere, & quibus seruire necesse habebunt, & sub quibus sedebunt sine sacrificijs, & sine altari, quæ omnia olim Hierosolymis, & in terra Canaan habuerant. Neque habebunt Sacerdotes, aut Reuelationes, hoc est, priuabuntur uero sensu, & intellectu sacræ scripturæ, & Prophetarum. Quod enim Oseashic dicit, partim re ipsa impleri uidemus. Initio enim, habitant ab hoc tempore, quo urbs Hierusalem deuastata est, inter Christianos, & Turcas, non habentes ex sua gente reges aut Principes. Deinde non sacrificant uaccas, aut uitulos. Adhæc carent sacerdotibus & Prophetis. Partim uerò complebuntur, paulò antè tempora nationum, hoc est, quando omnes electi ex gentibus segregati fuerint. Tunc enim & ipsi filij Israel, (quemadmodum Propheta hoc loco dicit) conuertentur ad Dominum Deum suum, & agnoscant filium eius unigenitum Dominum nostrum Iesum Christum ex familia Dauid natum, eiq; tanquam uero Iudæorum Regi adhærebunt. Atque adeo admirabuntur summam clementiam & misericordiam Dei, qua completitur omnes in Christum credentes. Nisi enim ad singulare quoddam factum à Deo mirabiliter conseruarentur, fieri nullo modo potuisset, ut tam diu superstites inter Christianos, & Turcas, quibus omnibus abominationi sunt, permansissent.

Et ad hunc modum etiam D. Hieronymus & Augustinus hunc

hunc locum interpretantur, atque uerbis huius textus mouentur, ut sentiant, carnales Iudæos ante nouissimum diem ad Christum conuertendos, siue autem omnes, siue uero aliqui tantum conuertendi sint, Dominus Deus noster nouit.

Ex hoc loco notabis, Primò ingentem seueritatem iræ diuinæ, quòd tanto tempore peculiarem suum populum tot miserijs & calamitatibus oppresserit. Cui parceret Dominus, cùm ne populo quidem suo peccatis inquinato pepercerit? Deinde misericordiam immensam Dei uides, quòd tam abominabilem populum, rursus (modo ut in Christum credat) recipere, & omnibus beneficijs afficere cupiat. Timeamus ergo peccantes, Confidamus autem Resipiscentes, ut in Christo Iesu Domino nostro salutem consequamur.

CAPVT III.

AVDITE VERBUM DOMINI, FILII ISRAEL, QVIA IVDITIVM DOMINO CVM HABITATORIBVS TERRÆ, NON EST ENIM VERITAS, ET NON EST MISERICORDIA, ET NON EST SCIENTIA DEI IN TERRA, MALEDICTVM, ET MENDACIVM, ET HOMICIDIVM, ET FVRTVM, ET ADVLTERRIVM INVDAVERVNT, ET SANGVIS SANGVINEM TETIGIT, PROPTER HOC LVGEBIT TERRA, ET INFIRMABITVR OMNIS QVI HABITAT IN EA. IN BESTIA AGRI, ET IN VOLVCRE COELI. SED ET PISCES MARIS CONGREGABVNTVR. VERVNTAMEN VNVSQVISQVE, &c.

Hactenus Oseas Propheta iussu diuino inusitatam, & horrendam auditu concionem habuit, in qua non solum ostendit Regnum Israelis esse deustandum, uerum etiam Iudæos ex omnibus beneficijs Dei abijciendos. Etsi enim interea pijs quoque Euangelium adnunciauit, quo in aduersis & calamitatibus constare possint, tamen præcipuè eò respexit, quòd Deus omnem suam clementiam & misericordiam à carnali Israele sit ablaturus. Verisimile igitur est, Israelitas, qui se solos pro populo, & Hæreditate Dei uenditabant, summa admiratione, & indignatione hanc concionem audiuisse. Et procul dubio uarijs rumoribus & cogitationibus apud uulgus, hac sua

prædicatione Oseas occasionem dedit. Alius, n. cogitauit, Quis huic Oseæ reuelasset, quid futurum esset? An fortè didicit à scorto suo, quòd nuper in uxorem duxit? Alius, Nunquid Oseas est Astronomus, qui ex Astris uiderit, quid sit futurum? Alius, Somniauit fortassis Oseas. Alius, Quid? adeo ne inclementer ageret Deus cum terra ista, quam Israël, peculiari suo populo, tãquam propriam possidendam tradidit? Apage sis cum tua concione: fieri enim non potest, ut terra hæc deuastetur ab hostibus. Dicat sanè Oseas quòd uelit, nunquàm tamen persuadebit, ut inducamus in animum nostrum, quòd Dominus sit populum suum reiecturus? His ergo uanis uulgi iactationibus, Propheta in hoc quarto capite respondet, & enumerat specialiter ea peccata quæ Israëlita designabant, ut hac enumeratione peccatorum, quæ in Lege prohibita sunt, certò cognoscerent futuram suam calamitatem & deuastationem. Audite (inquiens) filij Israël, Non meum somnium, Non uxoris meæ nãnias, Audite non Astronomiæ Regulas, sed uerbum Domini. Et audite non iniquitatem Dei, sed iudicium & æquitatem Dei contra uos, propter ingentia uestra peccata. Deus æquissimus & iustissimus est, nulli faciens iniuriam. Iustas habet causas uos perdendi. Nonne conuenit inter ipsum & uos? An non dixit ad uos, si audieritis uerbum Domini, uenient super uos omnes Benedictiones. Quòd si uerò non audiueritis, uenient super uos omnes Maledictiones? An non iniistis hoc pactum cum Domino, quando dixistis per Mosen: Omnia uerba Domini, quæ locutus est faciemus, & erimus obedientes? Et quid? An non Moses ad confirmandũ hoc pactum, sanguinem sumptum resperfit in populum, dicens: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus uobiscum, super cunctis sermonibus his. Iam tu ipse uide, quomodo hoc fœdus & mandata Dei serues. Deus mandauit, ut neminem decipias, sed omnes candido pectore diligas. Ecce autem non est ulla ueritas aut fides, Vnuiusque ad proximum suum mendacia loquitur, nullus est modus neque finis imposturarum. Deus mandauit, ut proximo tuo beneficias, Sed ecce nulla usquàm apud uos reperitur Misericordia & beneficentia. Deus mandauit tibi, ut ipsum per uerbum suum discas cognoscere. Sed ecce extremũ contemptum uerbi Dei, ut & scientia Dei nulla sit. Extinctus est omnis timor Dei,

Israëlita
quomodo
pactũ Dei
uiolauerint.

Dei, & charitas erga proximum euanuit. Prohibuit Deus blasphemiam seu maledictum nominis sui, sed ecce maledictio inundauit. Prohibuit mendacium, furtum, homicidium, adulterium, & alia facinora, sed ecce, uicia sortiuntur nunc nomina uirtutum. Mendacium enim, iam non amplius pro uicio, sed pro uirtute & prudentia habetur. Latrocinari & prædari quasi ornamenta sunt Nobilium. Furtum & Adulterium nemini exprobratur, sed potius laudi dantur. Breuiter sanguis sanguinem tangit, hoc est, ubi uis inundarunt summa & capitalia facinora, atq; adeo ut capitalia facinora capitalibus facinoribus cumulent. Terribile forsitan esset, si tantum hypocrítica aut ciuilia peccata admitterentur, sed hoc deplorandum, quòd inter uos talia & capitalia reperiantur scelera, quæ etiam ciuilis Magistratus Gladium & pœnam merentur, ita enim inundauerunt, ut eorum nullus neque modus neque finis sit. Quid ergo uicissim Deus uobis faceret? Aut, quid existimatis futurum esse? Nihil certè aliud, quàm ut iuxta fœdus, Terra uestra lugeat, & habitatores eius tristentur. Nec ipsi solum, uerum etiam omnes Bestiæ agri, pisces maris, & uolucres cœli, propter uestra scelera consumantur. Tanta enim est seueritas iræ Dei contra peccata, ut cùm exarserit, consumat non tantum homines peccatores, sed etiam omnes agri bestias. Et contemptus uerbi Dei tantum peccatum, imo tam pestiferum uenenum est, ut non tantum inficiat & interficiat homines, uerum etiam iumenta, pisces, uolucres, & omne id, quod uiuit. Audis quòd peccata astra illa sint, ex quibus futuram calamitatem Oseas prædixit, Et quæ populo Israelitico commutationem fore portendunt.

Sed quia apud nos, his præsertim temporibus, idem astrorum situs conspiciatur, eademque planè peccata inter nos reperiantur: quo magis enim, & diligentius nobis Euangelium, & uerbum Dei inculcatur, eò maiora designamus scelera: eadem igitur pœna quam Oseas Israelitis suis hoc loco minatur, etiam nobis expectanda est. Lugebit enim terra & habitatores eius tristabuntur. Et quis est, qui dicere aufert, Deum iniquè egisse cum Israelitis: aut quòd iniquè nobiscum acturus sit, cum propediem & nostra peccata uisitaturus est? Et quia iustam habuit causam cõtra Israelitas propter peccata, habebit ergo etiam contra nos causam iustam, & uincet in iudicio propter peccata

nostra. Ecce autem cum Oseas peccata Israelitarum enumeraret, eaque manifestiora, & notiora essent quam ut negari possent, alius in alium culpam reiciebat, populus nimirum in sacerdotes, sacerdotes uicissim in populum, Principes in subditos, subditi uero in Principes. Hæc enim est natura ueteris Adami, ut à se, in alium culpam transferat, quemadmodum uidemus Gen. iij. Vbi Adam in Euam, Eua in serpentem culpam transgressionis conijcit. Hortatur igitur Propheta eos, ut nullus in alterum culpam perditionis reiciat, nec quisquam cum altero hac de re contendat, propterea quod omnes in eodem luto hæreant. Populus est sicut sacerdotes, Sacerdotes sicut populus, omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, neque inuentus est ullus qui faceret bonum. Omnes sunt nebulones à minimo usque ad maximum, & iterum à maximo ad minimum. Cum igitur simul peccent, peribunt etiam simul impius cum impio. Populus quidem errabit, & priuabitur omnibus beneficijs Dei, Sacerdotes autem simul cum ipso populo peribunt, ideo ait, Corruet hodie, id est, statim corruet populus, & corruet etiam Propheta nocte, hoc est, peribit unus post alium, sacerdos post populum: cum enim cæcus cæcum duxerit, ambo in foueam cadent, & ut Moses ait assumit ebria sitientem.

Sunt qui hunc locum ita interpretantur. Veruntamen unusquisque non iudicet alterum, & non arguatur uir. Populus enim tuus sicut hi, qui contradicunt sacerdoti, ut sit sensus, oleum & opera in illo populo pereunt, neque mouetur ullis comminationibus, quin imò adeo contumaces sunt, ut etiam ipsis sacerdotibus Legem Domini docentibus contradicere ausint. Præcepit Dominus per Moysen, ne quis contradicat sacerdotibus, dicens Deut. decimo septimo: Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel. Nihilominus tamē peccati reprehensionem non uult ferre, sed excusat sua peccata, & contradicit & Deo, & sacerdoti legem Domini docenti.

Sequitur alia poena, Tacere faciam matrem tuam, id est, carnalem Israelem obticescere faciam, ne post hac possit gloriari de suo Regno & Sacerdotio, eumque ita confundam, ut nesciat quo se uertat. Imò ut ne hiscere quidem ausit amplius, ne dum magnificè

magnificè extollere suum Regnum & sacerdotium. Hanc enim pœnam minatus est Deus contemptoribus uerbi sui per Mo- sen, Exo. decimonono dicens, Si audieritis uocem meam & custo- dieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis po- pulis, mea. n. est terra. Et uos eritis mihi in Regnum sacerdotale, & gens sancta. Ergo si non audieris, non eris amplius in Regnū sacerdotale, & gens sancta. Dicit ergo Dominus per Oseam, Quia repulisti scientiam, hoc est, uerbum meum, per quod co- gnoscor, & oblitus es legis Domini Dei tui, auferam à te Regnū & sacerdotium, atque obliuiscar filiorum tuorum. Quod Do- minus hoc loco minatur, cœpit impleri eo tempore, quando Regnum Israelis per Regem Assyriæ deuastatum est. Et imple- tur adhucodie. Carent enim Iudæi Regno & sacerdotio pro- prio.

Eandem pœnam sentit nostro tempore Ecclesia orientalis, siue Constantinopolitana. Habuit enim legem Dei & Euange- lium de Christo, sed quia contempsit & repulit uerbum Dei, ab- stulit Deus ab ea Ministerium uerbi sui, ita ut cogatur nunc au- dire Alcoranum Mahumetis, neque recordetur Deus amplius filiorum eius. Est & apud nos summus contemptus uerbi Dei. Proculdubio igitur ad nos per Prophetam dicit Dominus: Repel- lam ego uos de sacerdotio, & obliuiscar filiorū uestrorum. De- mus itaque operam ut præueniamus per Resipiscentiam pœ- nam, quam Deus solet contemptoribus uerbi sui, & inobedi- entibus infligere.

Sequitur alia accusatio contra Israel, Secundum multitudi- nem eorum sic peccauerunt mihi, hoc est, promisi huic populo quòd multiplicare uelim eum, sicut stellas cœli, & quòd possi- dendas illi dare uelim urbes. Ecce autem, quo magis multiplica- tur, eò magis præuaticatur: multiplicantur enim unà cū ipsis sce- lera. Et quanto sunt sceliciores tanto redduntur deteriores, & si- cut Ieremias de Iuda ait cap. ij. secundum numerum ciuitatum tuarū erant dii tui ò Iuda, Ita & de Israel dici potest, secundum nu- merum hominū, sunt Idola tua ò Israel, quot homines, tot Ido- la, Imò tot nebulones. Age ergo non impunè feres Idololatriam & impietatem tuam. Gloriam enim tuam in ignominiam tuam commutabo, gloriaris nunc de multitudine tua, sed ego breui- te dispergam, & minuam. Superbis nunc quidem propter Re-

gnum tuum, & uideris tibi quasi triumphare, sed ecce ego te coram toto mundo confundam, Confusio nanq; sequitur superbiam: hac enim contra uerbum Dei homines plerunq; sese efferrunt.

PECCATA POPVLI MEI COMEDVNT, ET AD INIQVITATEM EORVM SVBLEVABVNT ANIMAS SVAS. ET ERIT SICVT POPVLVS, SIC SACERDOS. ET VISITABO SVPER EVM VIAS SVAS, ET COGITATIONES EIVS REDDAM EL COMEDENT ENIM ET NON SATVRABVNTVR, FORNICABVNTVR ET NON MVLTIPlicABVNTVR, QVONIAM DOMINVM DERELIQUERVNT CVSTODIRE. FORNICATIO ET VINVM ET MVSTVM AVFERVNT COR.

Quemadmodum antea populus accusatus fuit iniquitatis, Ita nunc sacerdotes quoque accusantur. Ita enim ait Dominus, Comedunt peccata populi mei, hoc est, instituit Dominus per seruum suum Moſen uaria sacrificiorum genera, inter quæ præcipuum ferè locum obtinuit Sacrificium pro peccato. Hoc autem non hoc consilio instituit, ut esset satisfactio pro peccatis ex opere operato, Quomodo. n. Bos, aut hircus peccata possent expiare? Sed ut esset manifesta confessio admissi peccati, & umbra futuri sacrificij unigeniti filij sui Iesu Christi, qui unico suo sacrificio pro peccatis satisfactorius esset. Etsi autem mandauerat sacerdotibus, ut de sacrificijs uiuerent & sustentarentur, quemadmodum scribitur Num. decimo octauo: Omnis oblatio & sacrificium, & quicquid pro peccato atque delicto redditur mihi, & cedit in sancta sanctorum, tuum erit, & filiorum tuorum. In sanctuario comedes illud. Tamen eo res redierat, ut Sacerdotes sacrificarent quidem, sed non ut populus erudiret, & ad resipiscentiam excitaretur, sed tantum ut auaritiæ suæ satisfacerent, & uentrem suum saginarent. Merito igitur Dominus, quasi coram publico iudicio eos accusat, dicens, Comedunt peccata populi mei, hoc est, sacrificia pro delicto in suum uertunt commodum. Et forsitan tolerabile esset, ut comederent ea, conceditur enim eis in Lege, sed hoc demum deplorandum, quòd ad peccata populi mei eleuant animas suas. Officium eorum est, ut populum offerentem sua sacrificia pro suo peccato admonerent sui delicti, & ad resipiscentiam hortarentur, hoc officium negligunt, neque peccata populi reprehendunt, sed

sed potius ad peccata conuiuent, & hoc solum quærunt, hoc ambiunt, cupiunt, & desiderant, ut populus frequenter peccet, quò plura necesse habeant offerre sacrificia, ex quibus uentrem ipsi suum lautè curare possint. Quo enim plus populus peccat, eo magis augetur sacrificiorum numerus. Non igitur (si optione aliquid impetraretur) optarent sibi meliorem populum. Sicut in Papatu quoque experti sumus. Audiui ipse Papisticos quosdam sacrificulos dicentes, se ne optare quidem meliores & magis pios rusticos, quoniam si meliores essent, nò opus haberent offerre nùmos. Et sibi uel tandem fame esset pereundum. Quid dicam de maiori parte Confessorum & Indulgentiariorum? non enim hoc quærebant, ut populus resipisceret, sed desiderabant, ut plurimum peccasset, quò multum offerre nummorum, aut pro confessione dare in cistam Indulgentiarum magnam copiam pecuniæ necesse haberet. Vidisses læpius sacrificulos qui à Confessionibus erant indignari, si fortè quis non atrocia scelera admisisset. Contrà uerò summa delectatione audiebant ingentia & horribilia scelera, non quidem hoc consilio ut ad resipiscentiam uocarent, quemadmodum Christus peccatores audiuit, sed ut sibi liceret eos emungere argento, non enim absoluebant tales nisi numerata aliqua summa pecuniæ. Breuiter, in eo Papistarum quæstus maximus fuit, ut essent quamplurimi insignes peccatores. Quid hoc aliud est, quàm quod Deus hoc loco dicit: Comedunt peccata populi mei, & delectantur peccatis eius. Quid ergo erit? Quia populus (inquit) & sacerdotes similiter peccant, similes quoq; , quantum ad pœnam attinet, eos faciam. Sicut puniam populum, ita puniam quoque sacerdotes, pro meritis autem & operibus eorum puniam eos. Comedent enim, & non saturabuntur, hoc est, Nunc quidem helluantur, inebriantur, atque in delitijs uiuunt, colligentes sibi multas diuitias, sed ecce ego maledicam eorum facultates, ut accidat eis quod in Prouerbio dicitur, Malè parta malè dilabuntur. Fornicabuntur & non succedet, hoc est, Quemadmodum immodica carnalis uenus est infœcunda, ita ipsorum spiritualis fornicatio, & Idololatria infœcissima erit. Imaginantur & pollicentur nunc quidem sibi nescio quos successus, propter suos cultus, quos hinc inde sine expresso mandato Dei instituerunt, sed longè errant: immergen-

Confesso-
res & indul-
gentiarij.

tur enim propter eos de die in diem altius in pericula & calamitates, neque prosperabuntur in eis.

Potest hic textus aliter ad hunc modum intelligi. Pascent se ipsos, non aut confortabunt, ut sit similis sententia cum superiori, & conueniens cum Lege, Leuit. uigesimo sexto, Confringam baculum panis uestri, ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus, & comedetis, & non saturabimini, &c.

Obseruare
Dominū.

Sed cur hæc accidet eis calamitas? Quia (inquit) desierunt obseruare Dominum. Quid? An non uolunt esse ueri cultores Dei, qui omnes suos cultus ad gloriam nominis sui instituerunt? Hic obseruandum est, quid sit obseruare Dominum. Non enim est ore tantum & uerbis gloriari de Deo, sed est uerbis Dei obsequi, & mandata eius custodire. Vera enim pietas non consistit in externa, & Hypocritica uita, sed in timore Dei, & obseruatione mandatorum eius. Contra uerò non obseruare Dominum, non est nihil uerbis de Deo confiteri, sed est, mandatis, & Verbo eius non uelle obedire. Atque hæc inobedientia (quemadmodum testatur Moses & hoc loco Oseas) causa est omnis Maledictionis & calamitatis.

Sacerdotū
facultates,
iniquitate
partæ, sunt
maledictæ.

Testatur autem liber quartus Regum capite decimo quinto & decimo septimo, quòd non solum sacerdotum facultates iniquitate partæ, malè perierint, uerum etiam propter impios & fictitios suos cultus maledicti & omni genere calamitatis sint obruti. Initio enim excitauit Dominus spiritum Phul Regis Assyriorum. Deinde spiritum Tiglath Philaser, qui multas urbes Regni Israelis, Et uniuersam terram Nephtalim ceperunt, & captiuos Israelitas in Assyrios transtulerunt. Tandem Salmanassar capta Samaria Metropoli Regni Israelis, Regem Oseam coniecit in carcerem, & transtulit Israel de terra sua in Assyrios, uiros autem de Babylone collocauit in ciuitatibus Samariæ pro filiis Israel.

Similiter experientia nos docet, quòd sacrificulorum nostrorum facultates maledictæ sint. Quare nunc quiuis etiam mediocris ingenij, facilè de futura eorum calamitate & interitu uaticinari potest. Sperant quidem se Mundana potentia causam suam defensores, sed non assequuntur quòd uolunt. Nam quos Deus maledicit, nulla humana potentia defendere potest.

Quæ

Quæ uerò (inquis) causa est, ob quam homines Dominum Deum suum obseruare desinunt? Oseas hanc declarat breuissimo Epiphonemate dicens, Fornicatio, Vinum & Mustum, auferunt cor. Hoc est, impij, & fictitij cultus, Abundantia omnium rerum, Ebrietas & Crapula, abducunt cor hominis à uera obedientia Verbi Dei, & adeo occupant, ut deinceps non recordetur eius amplius, ne dum obsequatur. Væ (inquit Esaias capite quinto,) qui confurgitis manè ad sectandam ebrietatem, & potandum usque ad uesperam, ut uino æstuetis. Cithara & Lyra, & tympanum, & tibia, & uinum in conuiujs uestris, Et **OPVS DOMINI non respicitis, Nec OPERA MANVVM eius CONSIDERATIS.** Similiter Christus Lucæ uigesimoprimo: **Cauete uobis, ne fortè grauentur corda uestra Crapula & Ebrietate, & curis huius uitæ, & superueniat in uos dies illa repentina.**

Causa est
homines
Dominum
non obser
uent.

POPVLVS MEVS, LIGNVM SVVM INTERROGAT, ET BACVLVS SVVS, INDICAVIT EI SPIRITVS ENIM FORNICATIONVM DECEPIT EOS, ET FORNICATI SVNT A DEO SVO: SVPER CAPITA MONTIVM IMMOLAUERVNT, ET SVPER COLLES ADOLENT, SVB QVERCV, SVB POPVLO, ET TEREBINTHO, QVOD BONA SIT VMBRA EIVS. IDEO FORNICAVNTVR FILIÆ VESTRÆ, ET SPONSÆ VESTRÆ ADVLTERRIA COMMITTENT. NON VISITABO SVPER FILIAS VESTRAS CVM FVERINT FORNICATÆ, ET SVPER SPONSAS VESTRAS QVVM ADVLTERRIA COMMISERINT, QVONIAM DVM IPSI (PATRES) CVM MERETRIBVS, DIVIDVNT SE (AB VXORIBVS) ET CVM SCORTIS SACRIFICANT: POPVLVS AVTEM QVI NON INTELLIGIT CORRIVET.

Alia accusatio, populus meus Lignum suum interrogat, & baculus suus indicavit ei, Lignum est Idolium, quemadmodum Ieremiæ cap. ij. scribitur. Ad lignum, hoc est, ad Idolium dicunt, Tu pater meus es, & ad lapidem, Tu me genuisti. Baculus est Sacerdotium, sicut testatur Moses Num. capite decimo septimo. Accusat ergo Deus populum Israel, quòd in omni

Lignum.
Baculus.

bus suis negocijs, & rebus agendis, non consuluerit Prophetas & Sacerdotes ueros, quæ sit mens & uoluntas Domini, sed sequatur Idola, & consulat falsos Prophetas quid sit agendum. Id quod etiam Ieremias capite uigesimo tertio testatur, dicens, In Prophetis Samariæ uidi fatuitatem, & prophetabant in Baal, & decipiebant populum meum Israel. Similiter libro quarto Regum capite primo scribitur, quòd Rex Ahazias cùm cecidisset per cancellos cœnaculi quod habebat in Samaria, miserit nuncios dicens, Ite consulite Baalzebub Deum Accaron, utrum uere queam de infirmitate mea hac?

Propheta-
rū & sacer-
dotū duo
genera.

Existimo autem duo fuisse genera tum temporis Prophetarum & sacerdotum, sicut nostro tempore sunt Papistici, & Euangelici concionatores. Qualis igitur quisque auditorum est, talem etiam consulit concionatorem. Si quis adheret Papisticæ Religioni, consulit in afflictione sua Papisticos concionatores. Hi autem non consulunt iuxta uerbum Dei, sed iuxta Decreta Papæ, dicentes, Si ex afflictione liberari cupis, audi aliquot Missas, his enim expiare peccata poteris. Aut suscipe peregrinationem ad statuam alicuius sancti, Aut institue anniuersarium, ut eò citius ex purgatorio igne libereris. Si uerò quis Euangelio Christi nomen dedit, & ex Euangelio renatus est, is festinat in omnibus suis rebus dubijs ad Euangelicum concionatorem, consulens quid facto opus sit. Consulit autem Euangelicus, & pius concionator non secundum inueteratam consuetudinem, non secundum Papæ doctrinam, neque secundum Missas, Sed dat consilium ex uerbo Dei, uero lumine, quod lu-
cet in tenebris, atque uiam ex omnibus periculis, & tentationibus euadendi ostendit.

Lignū aut
baculum
consulere.

Ita apud Israelitas existimo (ut dixi) duplices fuisse Prophetas & Sacerdotes. Alios qui Idolo Baal, Astaroth, Chamos, siue Moloch seruiabant. Alios uerò ex familia Leui, qui à Deo ordinati erant, & solis cultibus diuinitus institutis seruiabant. Si quis ergo apud Israelitas Baaliticæ erat Religionis, is festinabat in sua afflictione ad Baaliticum sacrificulum aut Prophetam, qui pro ratione Idoli sui responsa dabat, atq; consulebat, ut sacrificium offerret Baal, aut aliū quendam cultū, uerbo Dei prohibitū, præstaret. At quid hoc aliud est, quàm lignum, & baculū consulere? Qui uerò pius erat, atque Dominum Deum suum timebat, consulebat

consulebat pium aliquem Prophetam aut sacerdotem, eiusque consilio in rebus suis dubijs, quod ex uerbo Domini dederat, utebatur.

Sed quæ (inquis) causâ est propter quam Israelitæ derelicta Lege Dei, Lignum, hoc est, Idola, & baculum, id est, impios Prophetas & sacrificulos interrogarunt? Causam ostendit Propheta dicens. Spiritu fornicationum decipiuntur, ut fornicarentur, deserto Domino suo, hoc est, Ideo deserunt uerbum Dei & ueros à Deo præceptos cultus, quia totos sese addixerunt Idolis suis, eisque tam pertinaciter adhærent, ut potius omnes homines ad rectam uiam ipsos reducere conantes interficerent, quam sua Idola desererent. Iusto igitur Dei iudicio fit, ut seducantur, & excæcentur. Hæc enim est pœna Idololatrarum, quemadmodum ipse Dominus Deus noster apud Ezechielem capite decimoquarto ostendit dicens: Homo de domo Israel, qui posuerit immundicias suas in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, & uenerit ad Prophetam interrogans per eum me, Ego Dominus respondebo ei in multitudine immundiciarum suarum, ut capiatur domus Israel in corde suo, quo recesserunt à me. Idem sentit Christus filius Dei Ioannis xvj. Veni in nomine Patris mei, uos autem me non recepistis, ueniet alius in suo nomine, & recipietis eum. Et Paulus ij. Thessa. ij. Eo quòd charitatem ueritatis non receperunt, ut salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant Mendacio, &c.

Excæcatoris & seductionis causa idola.

SVPER CAPITA MONTIVM SACRIFICANT ET SVPER COLLES ACCENDEBANT THYMIAMA: SVBTVS QVERCVM ET POPVLVM, ET TEREBINTHVM, QVIA BONA ERAT VMBRA EIVS. IDEO FORNICABVNTVR FILIÆ VESTRÆ ET SPONSÆ VESTRÆ ADVLTERÆ ERVNT.

Sequitur alia Accusatio, cuius ferè hæc est sententia. Quid ego (dicit Dominus) de meis Israelitis dicam? Præscripsi quidem eis uarios cultus, quos uerbo meo institui, & sanctificauimus. Manifestaui eis lege mea mentem & uoluntatem meam. Ecce autem, omnes illos cultus, quos ego per seruū meum Moſen institui, & in quibus beneplacitū est mihi, derelinquunt, atque solos illos quos propria adinventionem excogitarunt, sequuntur. Quod mihi

Præcepta
de uero
cultu diui-
no in Isra-
el.

Ex uerbo
Domini iu-
dicandum
de cultu di-
uino.

placet, illis displicet, contingit illis secundum Prouerbiū, Vni-
cuique suū pulchrum. Vt hanc Accusationem siue expositu-
tionem iustam esse cognoscamus, reuocanda erunt in memori-
am præcepta, quæ Deus, de uero cultu diuino populo Israel
proposuit. Ita enim scribitur Deuter. cap. duodecimo, Gentes
quas possessuri estis coluerunt Deos suos super montes excel-
sos, & colles, & subter omne lignum frondosum. Non facietis
ita Domino Deo uestro, sed ad locum quem elegerit Domi-
nus Deus uester de cunctis tribubus uestris, ut ponat nomen su-
um ibi, & habitet in eo, uenietis, & offeretis in loco illo holocau-
sta & uictimas uestras, &c. Et postea. Caue ne offeras in alio lo-
co, quàm quem tibi Dominus ostenderit. Et Exod. trigésimo
præcipit Dominus Mosi, ut faciat Altare Thymiamatum, su-
per quo mane & uesperī adoleatur Thymiana: & seuerissimè
præcipitur, ne in alio loco Thymiana adoleatur. Sed ecce,
hæc præcepta Dei Israelitæ negligebant. Nam cum Dominus i-
psis locum sacrificiorum offerendorum in Templo Hierosoly-
mitano constituisset, ipsi hoc loco & templo relicto, sacrificia-
bant, & incensum offerebant in summitatibus Montium, in col-
libus, & subter omnem arborem frondosam, contra præce-
ptum Domini, Existimantes Deo placitura hæc loca, propter
amœnitatem & umbram, quemadmodum ipsis placerent. Sed
longissimè errarunt. Etenim in præstando cultu diuino non iu-
dicandum est ex nostro beneplacito, sed ex Lege, mandato, &
uerbo Domini. Exempli gratia, An non apud nos Christianos
hactenus Missa Papistica pro summo & præclarissimo cultu di-
uino habita, & in hunc usum excogitata fuit, ut esset sacrificium
iuge pro peccatis uiuorum & mortuorum? Certè non fuit ma-
ior, aut speciosior. At si scire cupimus, num hic cultus perinde ac-
ceptus sit Deo ut hominibus, ex uerbo Dei id discamus oportet,
quod testatur Missam esse impiissimam, ac Christum semel
pro peccatis totius humani generis satisfecisse, atq; æternam re-
demptionem unico suo sacrificio attulisse. Etsi igitur coram hu-
mano iudicio sanctissimus & excellentissimus fuit cultus, ta-
men coram Deo summa fuit abominatio. Sic etiam de Israelita-
rum sacris sentiendum est. Etsi enim excelsa eorum non idolis,
sed Deo ædificata erant, neq; sacrificarent idolis, sed Domino
Deo suo, tamen quia hæc excelsa & sacrificia eorum, caruerunt
uero

uerbo Dei, & citra hoc uerbum sunt instituta & oblata, fuerunt coram Deo abominabilia. Nihil igitur aliud sacrificijs illis in summitatibus montium contra præceptum Domini oblati, effecerunt, quàm quòd filix quoque eorum fornicari, & nutus mœchari didicerunt, hoc est, Non peccarunt simpliciter pro se tantum, sed hisce suis in lege prohibitis sacrificijs, & pessimo suo exemplo seduxerunt posteros suos, atque ex ipsis fecerunt Idololatrias. Solent enim plerunque posteri maiorum suorum Religionem amplecti, dicentes, Maiores nostri non fuerunt stulti, Sed habuerunt & ipsi ueram cognitionem Religionis, Ac do cet experientia filias matrum, & liberos parentum suorum Religionem imitari. Fit igitur, ut parentes, & Maiores Idololatriæ, habeant plerunque Idololatricos liberos & posteros. Quod cum ita sit, sequitur Deum iusto iudicio contèdere cum Israelitis. Quid igitur faciat illis Deus? Sequitur.

Posterius sequitur maiorum exempla.

NEC VISITABO SUPER FILIAS VESTRAS, QVOD FORNICATÆ SVNT, &c.

Quid? ergo ne liberi & posteri propter Idololatriam quam à suis parentibus & maioribus didicerunt non punientur? Quid igitur illud est, quod Iere. cap. vij. scribitur. Filij colligunt ligna, & parentes succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas Reginae cœli & libent dijs alienis, & me ad iracundiam prouocent. Ideo hæc dicit Dominus. Ecce furor meus & indignatio mea conflatur super locum istum, super uiros, & super iumenta & super lignum regionis &c. quibus uerbis significat Deus, quòd simul propter impietatem perditurus sit parentes & liberos? An non hæc Dei ordinatio est, ut paria delicta paribus pœnis afficiantur? Cur igitur hoc loco dicit Dominus se uisitaturum tantum parentum Idololatriam, & non simul liberorum quoq; qui à parentibus didicerant & ipsi Idololatriam? Respondeo, Non hoc sibi uolunt uerba illa, ac si Deus omnino non uelit liberorum peccata punire. Dicitur enim in lege Deus uisitans iniquitatem parentum in filijs, in tertiam & quartam generationem. Sed hisce uerbis denegatur Israelitis longanimitas Dei, atq; ostenditur quòd Deus non uelit pœnā diutius differre. Est itaque hæc sententia horum uerborum, Cum se (inquit Dominus iij. Reg. xxj.) Achab impius rex coram

Idolatriam etiam liberorum Deus an sit puniturus.

Pœnam impietatis nō differri.

me humiliaret, non induxi malum in diebus eius, sed ut ostenderem longanimitatem meam, distuli pœnam usq; in dies filij sui. Nunc uerò non differam pœnam in filias fornicarias & Idolatricas, sed quia parentes secuti sunt fornicationem suorum maiorum, Et rursus liberi paulatim imitantur parentum Idolatriam, neque spes ulla pœnitentiæ reliqua sit, non ultra differam pœnam, sed festinans festinabo, ut inferam supplicium. Ex uno enim peccato ruunt in aliud, ideo parentes unà cum suis liberis, omnibus calamitatibus obruam, incipiamque ab autoribus, & perueniam usq; ad posteros, qui impietatem maiorum suorum sequuntur. Quod Oseas hoc loco minatur Israelitis, hoc coeptum est impleri cùm ipse adhuc superstes fuit. Phul enim Rex Assyriorum ualido exercitu irruens in Regnum Israel, multas cepit urbes. Post hunc ascendit in Regnum Israel Tiglat Philasar. Tandem Salmanassar capta & occupata Samaria uniuersum Regnum deuastauit, Maioresque cum liberis suis partim crudeliter trucidauit, partim uerò captiuos abduxit.

Timoris
Dei exem-
plum.

Hæc autem in nostri doctrinam scripta sunt, ut ex ipsis discamus uerum timorem Dei, Et ut Resipiscentia nostra seuerissimam iram Dei contra peccata præueniamus, atque longanimitate eius, ad ueram fidei obedientiam erga mandata eius instigemur.

SI FORNICARIS TV ISRAEL, NON DELINQVAT SALTEM
IYDA, ET NOLITE INGRESSE IN GILGAL ET NE ASCENDE-
RITIS IN BETHAVEN, NEQVE IVRAVERITIS, VIVIT DOMINVS,
QVONIAM SICVT VITVLA LASCIVIENS DECLINAVIT ISRA-
EL. NVNC PASCET^o EOS DOMINVS QVASI AGNVM IN
LATITVDINE. PARTICEPS SIMVLACHRORVM EPHRAIM. DI-
MITTE EVM. CONVIVIVM EORVM APOSTATARE ET
FORNICARI EOS FECIT. PRINCIPES EIVS DILEXERVNT
IGNOMINIAM HANC.
LIGABIT VENTVS EVM IN ALIS SVIS, ET PVDORE AFFI-
CIENTVR A SACRIFICIIS SVIS.

Videns Oseas se laterem lauare in exhortandis ciuibus Regni Israelis, uertit se ad ciues Regni Iuda, eosque exhortatur, ne exemplo Israelis sinant se seduci. Necessaria exhortatio. Cœperant enim incolæ Regni Iudæ, cùm uidissent uarios cultus Dei in Israel, paulatim iisdem ceremonijs Dominum Deum suum colere, & peregrinari ad Gilgal, & Bethauen, quemadmodum testatur liber iij. Regum capite octauo dicens, Ioram filius Iosaphat

phat ambulauit in uijs Regum Israel, sicut ambulauerat domus Achab, filia enim Achab erat uxor eius, Et fecit quod malum est in conspectu Domini. Et iterum: Ochosias filius Ioram Regis Iudæ, ambulauit in uijs domus Achab, & fecit quod malum est coram Domino, sicut domus Achab, gener enim domus Achab fuit, &c. Ne igitur Regnum Iudæ prorsus à uero Deo & Lege eius unà cū Israele ad impietatem & Idololatriam deficeret, atq; unà cum regno Israelis deuastaretur, exhortatur Oseas incolas eius dicens, Cū uideam Israelitas ruere ad interitum suum, neque minis iræ Dei, à fornicatione sua absterreri se patiat, conabor in uiam reuocare Regnum Iudæ: Vos igitur Incolas Regni Iudæ omni quo possum studio rogo, ut caueatis uobis à cultibus fictitijs Israelitarum. Non suscipite peregrinationes ad Gilgal & Bethauen. Neque iuretis secundum ritum iurandi Israelitarum. Habetis enim ueros apud uos Hierosolymis cultus, quos Deus ipse in Lege, & uerbo suo ostendit, & confirmauit, Habetis Decalogum, & alia præcepta Dei, hisce rogo contenti, non ultra profiscamini ad Gilgal, & Bethauen.

De Gilgal Iosua v. scribitur. Celebris enim est locus à Cir- Gilgal.
cumcisione, quæ ibi facta est. Item à celebratione Paschæ, & à primo ingressu in terram Canaan, ubi Angelus Iosua apparuit, & dixit, Solue calciamenta tua, locus enim in quo stas sanctus est. Vnde eo loci cultus diuinus institutus est, ad quem cateruatim ex Iuda, & Israel peregrinati sunt: existimabant enim cultum hu- Cultus in
Gilgal.
ius loci erectum longè acceptiorem esse Deo, quàm aliorum locorum. Et si autem in honorem Dei, & gloriam sancti sui nominis institutus erat, tamen quia sine uerbo Dei peragebatur, coram Deo (sicut Samuel ait) fuit inobedientia, Idololatria, & peccatum ariolandi. Vnde Oseas postea capite nono ait, Omnis malitia Israelitarum in Gilgal, quia ibi exosos habui eos. Existimabant Israelitæ se consecuturos summam suam pietatem & iusticiam in Gilgal, ecce autem nusquam fuere iniustiores: putabant Deum eo loci esse propiciū, ecce autem ibi eos exosos habuit. Maledicatur enim à Domino, qui coram ipso fidit excogitantijs cultibus, & operibus suis.

De Bethauen dubium est, qualis locus fuerit, alij existimant Bethauen.
Bethel sic dictam esse hoc loco à Propheta, sed Bethauen est distinctus locus à Bethel, quemadmodum scribitur Iosua vij. Mi-

fit (inquit) Iosue de Iericho uiros contra Hai, quæ est iuxta Bethauen ad Orientalem plagam oppidi Bethel.

Et fit quoque mentio Bethauen i. Regum xij. Castrametati sunt in Michmas ad orientem Bethauen. Et (ni fallor) Bethauen fuit mons ille, in quo Abraham Altare ædificauit. Ita enim ait Moses Genesis duodecimo. Transgrediens inde Abraham ad montem, qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ab occidente habens Bethel, ab oriente Hai, ædificauitque ibi Altare Domino, & inuocauit nomen eius. Vnde Israelitæ ad exemplum Abrahæ instituerunt in Bethauen cultus sacrificiorum in honorem Dei, iudicantes illos Pios, & Religiosos, eo quod & Abraham illic sacrificasset. Horum exemplum deinde sequebantur incolæ regni Iuda, & illuc peregrinabantur. At uero non est, quod sanctorum Exempla citra uerbum Dei imitari uelis. Abraham rectè fecit ædificando in hoc loco Altare, quod enim fecit, iussu Domini fecit. Israelitæ autem impiè egerunt instituendo cultus diuinos in hoc loco, quia contra uerbum Dei, quod extat Deut. capite duodecimo, Non in omni loco, quem uideris, offeras holocausta tua, sed in eo, quem elegerit Dominus in una tribuum tuarum, fecerunt.

Cultus in
Bethauen.

Exempla
Sanctorum
non sunt
imitanda
sine uerbo
Dei.

Iuramentum
aliud legitimum,
aliud illegitimum.

Sed quid est quod dicit, Ne iuraueris, dicit Dominus? An non iurandum est in nomine Dei? tamen Moses Deuter. sexto præcipit, ut solum Dominum metuamus, Ipsi soli seruiamus, atque in nomine eius iuremus? Et alibi in scriptura præcipitur, ut non iuremus in nomine alienorum deorum, sed in nomine uiuentis Domini Dei nostri? Respondeo. Non loquitur Oseas de iuramento quod fit in nomine Domini legitimè, iustè, & uerè, sed de peruerso & Idololatrico ritu iurandi apud Israelitas. Per nomen enim Dei uerè, & legitimè iurare, nõ est peccatum, neque prohibitum est à Christo Matthæi v. Sed quemadmodum prohibet quidem homicidium priuatũ & temerarium, interea autem non abrogat magistratum, sed permittit ei gladium, quo puniat & interficiat malos. Atque reprehendit falsam interpretationem Phariseorum, dicentium, quod tantum homicidium manu perpetratum, non autem inuidia, odium & uirulentia prohibita essent. Ita prohibet iuramentum tantum priuatis, qui illegitimè, & absque iussu sui Magistratus, temerè iurant, interea tamen approbat iuramentum per Magistratum secundum

Locus de
iuramento,
Matth. 5. ex
plicatur.

cundum leges delatum & mandatum. Deinde quia non uenit, ut abroget Legem, sed ut impleat, neque contra præcepta cœlestis sui Patris docuerit unquam, uult ut iuremus iuxta legem in nomine uiuentis Dei. Adhæc Christus Matthæi quinto, ubi dicit, Non iuretis omnino, reprehendit falsam interpretationem Pharisæorum, existimabant enim, & si quis falso per cœlum aut terram iuraret, non tamen peiurasset. Christus autem docet periurium esse siue per Deum, siue per creaturam falso iuraueris. Quare sicut nec Christus, ita neque Oseas legitimum iuramentum prohibet. Sed ita per Deum iurare, ut nomen eius cum falsis cultibus & alienis dijs commisceatur, hoc nemum impium, & Idololatricum est, & à Domino, qui est zelotes, ferri nequit. Israelitas autem sic iurasse ex alijs Prophetis manifestum est. Amos octauo, Iurant in delicto Samariæ, & dicunt: *Viuit Deus tuus Dan, & uiuit consuetudo Bersabeæ.* Sopho. i. iurant in Domino, & iurant in Melchom. Iere. v. iurant in his qui non sunt dii. Et paulò antè. Quòd si etiam, uiuit Dominus, dixerint, & hoc falso iurabunt. Vides quòd Israelitæ iurarint quidem in nomine Dei, sed mutarint ritum Iurisiurandi in hanc formam: *Viuit Dominus, quem colimus in Dan, Gilgal, Bethauen, uel Bethel.* talia iuramenta fuisse opinor, qualia apud nos sunt hypocritarum sub Papatu. Affirmaturi, n. aliquid dicere solent, *Hoc quod dico, tam uerum est, quàm certum est me hodie uidisse Deum in manibus sacrificuli in officio sanctæ Missæ mutari & tractari.* Aut, *Id quod dico uerum est, ita ut me Deus & omnes Sancti eius in cœlo iuuent.*

*Iuramenta
impia Iu-
dæorum.*

*Iuramenta
impia Chri-
stianorum.*

Hortatur ergo Oseas incolas Regni Iuda, ne iurent in nomine Domini, sicut solent Israelitæ, cum hac appendice, *Cui sacrificia in Gilgal, Bethauen aut alijs locis offeruntur, Deus enim sit fortis zelotes, qui nullo modo ferre possit, ut nomen suum commisceatur cum alienis sacris. Sed quemadmodum ipsi soli sit seruendum, Ita etiam in solo ipsius nomine sit iurandum.*

Quare autem (inquis) incolæ Iuda debent à consortio, seu superstitione Israelitarum abstinere? Quia (inquit) Israel declinauit à uia Domini. Sicut solet uitula lasciuens, quæ currum trahens aliò diuertit. Etsi enim monstratur eis quæ sit uera uia, & imponitur eis iugum Legis diuinæ, tamen semper repugnant, & secundum desideria cordis sui uiuunt. Adhæc Ephraim, hoc est, in

*Iuda quare
debet absti-
nere à con-
sortio Is-
rael.*

Ephraim.

colæ Regni Israelis (Sic dicti uel ab Ierobeam primo rege suo, qui ex tribu Ephraim ortus fuit, uel propter Benedictionem, à Patriarcha Iacob, ad Ephraim filium Ioseph, de Regno peculiari dictam) adiunxit se Idolis, adeo, ut ab eis diuelli se non patiat. Ideo abiget eos Dominus procul à se in pascua lata, & eijciet eos tanquam oues à terra sua. Deuastato enim Regno tradet eos in manus hostium suorum, adeoque ab omni sua cura & clementia secludet. Quare cum uos incolæ Regni Iuda similem unà cum Israelitis Idololatriam sectati fueritis, eandem quoque pœnam expectetis necesse erit. Sed cupio uobis melius consilium esse. Relinquitte ergo Idololatriam eorū, ne unà cum ipsis Regnum uestrum perdatis, & pereatis.

Impietatis
& Idololatriæ
Israelitarum
duæ
causæ.

Vituli duo

Achab.

Vnde autem in Israel prouenit tanta impietas? Duæ hoc loco recensentur causæ, quibus Israelitæ ad impietatem & Idololatriam moti sunt. Prior est crapula & rerum abundantia, cuius etiam Moses Deut. xxxij. mentionem facit, dicens, In crassatus est dilectus, & recalcitrauit, in crassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suū, & recessit à Deo salutari suo. Ipsi (inquit Dominus) prouocauerunt me in eo qui non erat Deus &c. Posterior sunt Principes eorum, qui Idola, & falsos cultus instituerunt. Primus enim Rex Israelis Ierobeam instituit duos vitulos, alterum in Dan, alterum in Bethel, quibus peccare fecit Israel. Deinde Rex Achab instituit collegium sacrificulorum Baaliticorum. Hos secuti alij Reges, addiderunt alios cultus, quemadmodum testantur libri Regum plurimis in locis. Vulgus autem plerunque sequitur Religionem Principum suorum, & credit id quod uidet suum præfectum (ut dicitur) credere. Cum igitur Subditi unà cum Magistratibus suis sectentur Idololatriam, ideo simul cum illis punientur. Et sic projicientur à facie Domini, quemadmodum dū uētus projicit quisquillas à facie terræ, & sicut uentus coturnicū alas compræhendens magno impetu eas per mare uehit, uel sicut uētus plumas hinc inde projicit, ita hinc inde dispergent Israelitæ, & confundent à sacrificijs suis, quibus sperant remissionem peccatorū se consecuturos. Vident nunc sibi propter Regnum & Sacerdotium suum fœlices, Sed eijcietur ex Regno suo, & dissipabuntur in omnes regiones terræ, atque circumdabuntur omni genere calamitatum. Quid tum proderunt ipsis sua sacrificia? Ne igitur tale aliquid & tibi ò Iuda acci-

dat, caue Israellem imiteris, qui enim sese coniungunt cum impijs, cum eis quoque peribunt.

Ex hoc loco iterum discimus usum scripturæ. Quemadmodum enim exemplo Israelitarum Oseas deterret Iudam ab impietate, Ita nos exemplo amborum regnorum, quæ propter impietatem interierunt, deterreri debemus à nostra superstitione, ne & nos, (si uerbo Domini non ex fide obediuerimus) iisdem calamitatibus obruamur, & in eis pereamus.

CAPVT V.

AVDITE HOC SACERDOTES ET ATTENDITE DOMVS ISRAEL, ET DOMVS REGIS AVSCVLTA TE, QVIA VOBIS IN'DITIVM EST, QVONIAM LAQVEVS FACTI ESTIS SVPER MONTEM MIZPA ET RETE EXPANSVM SVPER THABOR, ET AD IMOLANDVM, QVI DECLINANT, CALLIDVM INIERVNT CONSILIVM, EGO AVTEM ERVDITOR OMNIVM. EGO NOVI EPHRAIM ET ISRAEL NON EST ABSCONDITVS A ME, QVIA TV EPHRAIM FORNICARIS. ET ISRAEL POLLVIS TE. NON DABVNT COGITATIONES SVAS, VT REVERTANTVR AD DEVM SVVM, QVIA SPIRITVS FORNICATIONVM IN MEDIO EORVM, ET DOMINVM NON COGNOVERVNT. HVMILIABITVR AVTEM SVPERBIA ISRAEL IN FACIE EIVS, ISRAEL ET EPHRAIM CORRVENT PROPTER INIQVITATEM SVAM. CORRRET ETIAM IVDA CVM EIS. CVM OVIBVS SVIS ET BOBVS VADVNT AD QVÆRENDVM DOMINVM, SED NON INVENIVNT, SVBTRAXIT ENIM SE AB EIS. IN DOMINVM PRÆVARICATI SVNT, ET FILIOS ALIENOS GENVERVNT, CONSVMET EOS MENSIS CVM PARTIBVS SVIS.

Alia concio, qua Oseas & Sacerdotes, & Reges, & uniuersum denique populum alloquitur, Fieri enim aliàs solet, ubi uitia in genere reprehenduntur, ut alius in alium culpam reijciens seipsum innocentem & immunem à futuro supplicio iudicet, Ideo, inquit, uobis iudicium est, Omnes animaduertite, omnes aures arrigite, quotquot adestis siue sacerdotes, siue Principes, siue subditi sitis, uestrum enim est iudicium, hoc est, causa, Delictum, supplicium, futura calamitas, de qua uaticinatus sum, & quæ ad uos omnes pertinet. Nullus innocens est à maiori usque ad minorem, omnes declinauistis. Præcipuè autem uos Sacerdotes & Principes de regia familia, animaduertite, quænam uestræ sint transgressiones, & quid propter eas in uos uen-

turum sit. Nam uos qui debuissetis populum Israel conserua-
 re in Regno, quod Deus illi donauerat, autores estis omnis e-
 ius calamitatis, captiuitatis, & deuastationis. Vos estis laqueus,
 & rete quibus capiuntur Israelitæ. Quemadmodum enim in
 Mizpa. monte, super quo sita est ciuitas Mizpa, quæ est in Gilead tribus
 Gad, Iosua decimotertio (Nam est & alia ciuitas Mizpa, tribus
 Iudæ, Iosua decimo quinto, ad quam Samuel uocauit popu-
 lum, cum uellet eligere Regem, primo Samuelis decimo) Et in
 Thabor. Thabor, qui est mons Galilææ mira rotunditate sublimis, la-
 quei ad capiendas aues, & retia ad comprehendendas feras exten-
 duntur, Ita hos sacerdotes & Reges Regni Israelis ueluti laquei
 & retia, extensi estis, quibus capientur & deuastabuntur miseri
 Sacerdotes subditi. Sacerdotes enim non docent Legem Domini Dei no-
 stris, sed tantum prædicant de cultu instituto in Dan, & Bethel,
 De Baal, de sacrificijs offerendis in montibus, uallibus, sub quer-
 cubus, & alijs à Deo prohibitis locis, illosque cultus tanquam
 sacrosanctos & Deo acceptissimos populo commendant. Re-
 ges uerò & Principes instituunt Basilicas siue templa Dominica
 in honorem quidem Dei, sed quæ coram Deo summa sunt ab-
 Ierobeam. ominatio. Ierobeam enim primus Rex Israelis, duo magnifi-
 Achab. ca templa ædificauit, alterum in Dan, alterum in Bethel, Hunc se-
 cuti alij Reges, instituerunt & ipsi nouos cultus. Achab instituit
 cultum Baal, & constituit collegium sacrificulorum Baaliticor-
 um. Reliqui uerò aut tuebantur maiorum suorum cul-
 tus, aut singularem & nouum aliquem à seipsis excogitatum
 adiciebant. Quid faceret uulgus? Pendebat à sacerdotibus, &
 Principibus suis. Sacerdotes enim erant docti, Principes uerò
 potentes, Doctrina ergo sacerdotum, atque potentia Regum
 tanquam laqueo & Reti capiebantur primum nexibus Satanae.
 Deinde etiam uinculis externi hostis, regis scilicet Assyriorum,
 Ita uides, quòd illi ipsi, qui debuissent in libertate seruitutis Dei
 & incolumes in Regno suos conseruare subditos, præcipui au-
 tores fuerint captiuitatis & omnis calamitatis eorum.

Doctrina
 Papistica,
 laqueus.

Quid de Sacerdotibus & Regibus nostris dicam? An non
 doctrina Papistica est laqueus conscientiarum? docent enim sa-
 crificuli Papistici Missam satisfacere pro peccatis, Liberare ani-
 mas ex purgatorio, peregrinationes abolere peccata, Sancto-
 rum auxilia esse imploranda, & quis omnes abominaciones recen-
 te

fere posset? Contrà Reges & Principes instituerunt sacra collegia, Monasteria & constituerunt quotidianas Missas, & hæc omnia summis uiribus tuentur. Quid ergo fit? Vulgus hac plausibili doctrina, atque potentia Principum detinetur, atque quasi laqueis, & retibus capitur, ac primum traditur Satanæ. Deinde hosti externo, siue Turcæ incorporato Satanæ, crudelissimè trucidandum obijcitur. Vides ex hoc loco, unde hoc nostro tempore Turca uires suas contra Christianos sumat. Vides etiam qui sint autores captiuitatis nostræ, nimirum illi ipsi, qui dies noctesque gloriantur, se esse Patronos & defensores Christianæ Religionis, Et de defendenda Germania consultare solent.

Turca unde sumat suas uires.

Hieronymus, & alij eum secuti, hunc locum ita interpretantur, Nempe, quòd Reges & sacerdotes Regni Israel in Mizpa & in monte Thabor specula ædificarint, in quibus constituerunt custodes, & milites, qui pios Israelitas retinentes & uisitantes uerum cultum in Ierusalem, obseruarent & retraherent, sicut apud nos Principes & Episcopi suis interdicunt, ne nostras conciones audiant aut nobiscum integra cœna Domini utantur. Sed quid si ad auaritiam Sacerdotum & Principum Propheta respiceret? Nam de hac quoque conqueritur Ieremias capite v. dicens, Inuenti sunt in populo meo impij, insidiantes quasi aucupes, Laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos uiros. Sicut decipula plena auibus, sic domus eorum plenæ dolo, ideo magnificati sunt & ditati, in crassati sunt & impinguati, & præterierunt sermones meos pessimè.

Auaritia sacerdotum.

Sed quid amplius malorum geritur in Israel? VICTIMAS (inquit) DECLINASTIS IN PROFVNDVM, id est, peruersi seu recedentes abscondunt suas uictimas, hoc est, illi qui Legem & uerbum Dei dereliquerunt, mactant quidem & sacrificant in gloriam & laudem Dei, suas uictimas. Sed in profundo cordis sui (cuius Deus scrutator est) illo opere & sacrificio suo non querunt gloriam Dei, sed utilitatem & celebritatem suam: prætexunt quidem gloriam Dei, sed in profundo cordis, sua quærunt. Sic Ierobeam cultum duorum uitulorum aureorum, unà cum alijs quibusdam sacrificijs in Dan, & Bethel instituit, nomen quidem & gloriam Dei prætexens, Sed in profundo & recessu cordis sui potius suum commodum & regiam dignitatem quàm gloriam nominis diuini, quæsiuit. Cogitabat. n. intra se: si

Ierobeami cultus quo respexerit.

populus ascenderit Hierosolymam, oblaturus ibi sua sacrificia, facile à Regibus Iuda ad defectionem persuadebitur. Instituum ergo hos cultus, ut hoc prætextu uitam, Gentem & Regnum retineam. Itaque Ierobeam (ut diximus) non gloriam Dei, sed Regnum suum in instituendis & retinendis nouis cultibus considerauit. Hunc secuti reliqui Reges omnes, summa uero Ierobeami cultus diuinos in Regno Israel defenderunt, non quidem quod adeo curarent gloriam Dei, sed ideo, ut quibus auspicijs regnum inceptum esset, iisdem etiam conseruaretur.

Ethnicorū
sacra quo
respexerint.

Ad eundem modum Ethnici suorum Deorum sacra Romæ conseruare studebant. Ambrosius enim scribit, Symachum urbis Romæ præfectum à Senatu missum esse ad Imperatorem Theodosium, ut ab ipso restaurationem Deorum & sacrorum suorum rituum impetraret, horum enim Auspicio & custodia Rem Romanam creuisse, atque hæcenus prope mille annis incolumem conseruatam esse. Non igitur præcipuè deorum suorum, sed potius, suam potentiam, & gloriam quæsiuerunt, timebant enim ne unà cum suis dijs Imperium amitterent.

Papistæ
cur sacra
sua tantopere tueantur.

Eadem ratione Papistæ nunc suas Missas, & reliqua sua sacramenta tumentur. Prætexunt quidem gloriam Dei, sed in recessu cordis sui, non quærunt gloriam Dei his cultibus, quos ipsi met contemnunt, sed potius suam potentiam conseruare student. Nam cum ijs auspicijs Religio Papistica orta sit, metuunt ne si Religio cadat, decidat & ipsorum gloria & potentia. Et hoc est, quod hic Propheta uocat Abscondere in profundum suas uictimas.

Magistratus tyrannidis suæ iustas causas obuertentes.

Potest & hic locus sic intelligi, quod Magistratus multos innocentes occidat, & tamen iustas causas suæ Tyrannidis obuertat, ut uides in Achab, interficiente Naboth. Etsi enim Naboth pijsimus atque iustissimus esset ciuis, tamen tanquàm reus criminis læsæ diuinæ atque Regiæ maiestatis, trucidabatur. Sic multi Prophetæ tanquàm seditiosi & Rei criminis læsæ Regiæ Maiestatis ab impijs Regibus trucidati sunt.

His igitur omnibus uæ intonat Esaias capite uigesimo nono dicens: Væ, qui profundi estis corde, ut à Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: quis uidet nos? & quis nouit nos? Et Dominus hoc loco per Oseam eius minatur dicens: Ego ero omnium eorum eruditor, hoc est, exstimant sacerdotes se euasuros sua eruditione, Magistratus uerò
sua

suapotentia. Subditi sperant se fore tutos Principum suorum potentia. At ego (dicit Dominus) uisitabo eorum impietates, & malos male perdam. Docti quidem sunt, at ego multo illis doctior. Potentes sunt, fateor, At ego longè potentior sum. Et si autem hactenus conuiui, tamen quod differtur non auferatur. Nonne interdum conuiueo ad Latronum scelera, ad furum iniquitates? Cur igitur non conuiuerem ad impietates Magistratum & Principum? Serò tandem tacitis pœna uenit pedibus.

Sed quid si (inquis) resipiscerent Sacerdotes, Reges, & uulgus, An non ignosceret & parceret Deus illis? Maxime parceret, dicit enim: Viuo ego nolo mortem peccatoris, sed magis, ut conuertatur & uiuat. Sed audi tu uicissim quæso, quid Dominus per Oseam loquatur. Ego, ego, inquam, qui scrutor renes & corda, noui Ephraim, hoc est, scio quales sint incolæ Regni Israelis, Noui ingenium eorum, Tam altas enim fornicatio, & impietas fictitiorum suorum sacrorum, radices egit, ut ex ipsorum animis euelli nullo modo possit, nunquam ergo resipiscunt, neque ad me reuertentur, eo quòd à spiritu fornicationis planè obsessi, & in eo obstinati sint. Adhæc, cùm contemnant Legem, & uerbum meum, fieri non potest, ut cognoscant me, Cognoscor enim per solum uerbum meum, hoc igitur contempto, ego ipse contemnor, etiamsi de me glorientur homines, frustra igitur de resipiscencia Israelitarum uerba fiunt.

Quid igitur præterea Israelitæ sceleris admittunt? Quid? non opus est multa inquisitione. Sunt enim elati & inflati, nimium fidentes suo Regno, & potentia. Sacra quoq; sua fictitia, tanquam sanctissima ad astra usque tollunt, Ideo inquit Dominus, **HVMILIABITVR SVPERBIA** Israel, **VIDENTIBVS IPSIS**, hoc est: Non sit eis mora longa: breui enim cognoscent, & uidebunt, me posse compescere & confundere superbos, & eos qui elato sint animo deijcere. Nam propter suas impietates, iam enumeratas, uniuersus Israel corruet. Imò non Israel tantum, sed corruet etiam Iuda, puniam Nebulones omnes, & procul à me abijciam. Iustum enim est, ut qui æqualiter peccant, æqualiter etiam puniantur. Quod Dominus hoc loco minatur, primò in Regno Israel impletum est, eo tempore, quando Ti-

Regni Isra
el deuasta-
tio.

Regni Iu-
da deuasta-
tio.

glath Philasser magnam Regni Israelis partem, occupauit, & post
eum Salmanaser Rex Assyriorum, ultimum Israelis Regem Ose-
am in carcerem coniecit, & capto toto Regno, populum capti-
uum abduxit, suisque Babylonijs terram Israelis possidendam
tradidit. Deinde in Regno Iuda quando primo quidem Sane-
herib Rex Assyriæ totū Iudæ Regnū, excepta tantum urbe Ierusa-
lem, deuastauit, deinde uerò quādo Nebucadnezar rex Babylo-
nis etiam ipsam urbem Ierusalem cepit, & liberos Zidekiæ Re-
gis coram parente mactauit, postea parentem quoq; oculis or-
batur, catenisque uinctum secum Babyloniam duxit. Quid est
humiliare superbos, si hoc non est? non enim corruere tantum,
uerum etiam crura, imò ceruicem quoq; ipsam frugerunt.

Sed quid tu Osea ais Principes & sacerdotes ignorare Do-
minum, & fornicari ab eo, & penitus ab eo recessisse? Nonne
quotidie Domino Deo in laudem & gloriam nominis eius im-
molant boues, & oues, tamen non parcunt, uel labori, uel sum-
ptibus, ut ostendant se religionis studiosissimos & Dei obser-
uantes esse? Et si scirent impendere calamitatem aliquam cerui-
cibus suis, non dubito, quin conaturi essent eam suis uictimis
auertere & Deum sibi propitium reddere? Cur igitur tu Osea,
traducis eos, perinde ac si Dominum Deum suum non cogno-
scerent, & quærent? Ad hoc respondet Oseas: Vadunt qui-
dem ad quærendum Dominum gregibus suis, & armentis, sed
non inuenient. Nam cum ipsi dereliquerint eum, & Legem si-
ue uerbum eius contempserint, pactumq; quod inierant cum
eo irritum fecerint, neque obedierint uerbo eius, subduxit &
ipse se ab eis. Adhæc filios alienos genuerunt, hoc est, debuissent
liberos suos educare in timore & obedientia erga uerbum Dei,
sed educarunt eos ad cultum, qui est in Bethel & Dan, & in culca-
runt eis Baal, cultum suum ficticium & Idololatricum, Propter
hanc ergo causam non inuenient Deum, etiam si ipsum gregi-
bus & armentis suis quærant. Melior est enim (inquit Samuel) o-
bedientia quàm uictimæ, & auscultare magis, quàm offerre adi-
pem arietum. Nūquid uult Dominus holocausta & uictimas,
& non potius ut obediatur uoci Domini? Qui uult Dominum
quærere & inuenire, non quærat eum uitulo aut oue, sed
uera obedientia Verbi eius, & uera fide in unigenitum
filium eius, Dominum nostrum Iesum Christum. Nam

extra

Deus qua-
re non in-
ueniatur.

extra uerbum & filium suum inueniri se non patitur.

Vadunt & Papistæ ad quærendum Dominum cum suis sacrificijs, & (ut uocant) officio sanctæ suæ Missæ: Sed quia uerbum & mandatum Dei reijciunt, non inueniunt eum. Non enim in sacrificio Missæ, sed in sacrificio unigeniti filij Dei Domini nostri Iesu Christi, semel in cruce oblato & peracto, inueniri Deus potest. Quia ergo Israelitæ non obediunt uerbo Domini, & gignunt filios alienos, adulteros, & supersticiosos, ideo non euadent pœnam. **DEVORABIT EOS MENSIS VNA CVM PARTIBVS EORVM.** Variè exponitur uocabulum **MENSIS.** Sunt qui per **Mensem** breue admodum tempus intelligunt. Ac si Dominus dicere uellet, Non differetur ultra supplicium, quod propter fornicationem & scandalum ipsorum quod suis posteris ponunt inferam: distuli quidem hæctenus aliquot centum annos, atque longanimitate mea ad Resipiscentiam uocari, sed quia subinde deteriores redduntur, adeo ut etiam propagare in posteros suam Idololatriam conentur, breui, & quasi intra unius mensis spacium scelera eorum uisitabo. Alij interpretantur **MENSEM** de assiduis & crebris incursionibus hostium in terram Israel, uidelicet, quòd Israelitæ posthac propter sua scelera, ne **Mensem** quidem ab hostibus tuti erunt, Non est inconueniens aut inepta interpretatio. Tres enim Reges Assyriorum Phul, Tiglath Philezar, & Salmanessar assiduis populationibus Regnum Israel deuastarunt. Alij uero **Mensem** interpretantur de fame, qua Deus uisitaturus sit Israelitas, ita ut uno mense omne id consumendum & deuorandum sit, quod sufficere debuit integro anno. Sed utcunque exponatur, certum est, quòd his uerbis Dominus minetur subitam & improuisam calamitatem, siue belli, siue famis, qua omnis prouentus terræ subito consumendus & perdendus sit.

CLANGITE BUCCINA IN GIBAA, TUBA IN RAMA, ULULATE IN BETHAVEN POST TERGV M TVVM BENIAMIN. EPHRAIM IN DESOLATIONE ERIT IN DIE CORREPTIONIS, IN TRIBVBVS ISRAEL OSTENDI FIDEM. FACTI SVNT PRINCIPES IVDA, QVASI QVI TRANSERVNT TERMINVM, SVPER EOS EFFVNDAM TANQVAM AQVAM FVROREM MEVM. CALVMNIAM PACIENS EST EPHRAIM FRACTVS IVDICIO, QVONIAM COEPIT ABIRE POST PRÆCEPTVM. ERO ITA QVE TANQVAM TINEA IPSI EPHRAIM, ET TANQVAM PVTredo domvi ivda.

Mensis uocabuli uaria expositio.

Belli con-
suetudo,
classicum
canere.

Prophetae
speculato-
res spiritu-
ales.

Scelera, de-
uastationis
nuncia.

In bello imminentib. hostib. hæc ferè consuetudo obseruat, ut speculatores constituantur, qui Buccina uel Tuba classicum canant, quo milites futuros hostes sciant adesse, & sese ad arma parent, atq; ab incursione & calamitate patriam defendant. Eandem consuetudinem obseruant etiam Prophetae (qui & ipsi uigiles & speculatores sunt) in suis concionibus & exhortationib. ad populum. Nam è sceleribus populi, instinctu diuini Spiritus uidentes deuastationem ab hostibus imminentem, classicum concinunt, quasi iam à tergo hostes adessent, partim ut auditores maiori efficacia futuri periculi admonerentur, partim ut imminentem calamitatem studerent præuenire, & armatura Dei conarentur propulsare. Quemadmodum enim politici uigiles & speculatores incolas terræ suo clamore ad carnalia arma uocant, ita Prophetae spirituales speculatores suos auditores hortantur ad spiritualia arma, hoc est, ad Resipiscentiam, qua sola effugere omnem calamitatem licet. Sic Ieremias suo clamore auditores suos hortatur cap. sexto dicens, Confortamini filij Benjamin in medio Ierusalem, & in Thecua clangite Buccina, & super Bethacarem leuate uexillum, quia malum uisum est ab Aquilone & contritio magna. Et capite l. cum annuncieret Babyioni suam deuastationem ait, Leuate signum in terra, clangite Buccina in mōtib. sanctificate super eam gentes &c. & Ioel secundo. Canite tuba in Zion, ululate in monte sancto meo, &c. Idem planè agit Oseas hoc loco. Cum enim inspirante spiritu sancto ex sceleribus duorum Regnorum Israel & Iuda cognosceret & uideret deuastationem eorum per Assyrios & Babylonios, classicum canit & ad arma uocat, non aliter, quàm si hostes in terram iam impetum fecissent. Ita enim ait, Clangite Buccina in Gibeā, Tuba in Rama, quæ sunt urbes tribus Benjamin, ut est Iosuae xviii. & Iudicum xix. Ululate in Bethauen tribus Ephraim, in finibus Benjamin, Iosuae xvii. Preparate uos ad bellum, & classicum canite. Imminent enim hostes, deuastaturi duo Regna, Israel & Iuda, & deriuabitur deuastatio ab uno Regno in alterum. Principio nanque Ephraim, hoc est, Regnum Israel suo tempore punietur, non solum propter supra enumeratas causas, sed etiam propter hanc, quòd fideliter & summo studio præmonuerim, atque per Prophetas meos calamitatem eorum

eorum pridem annunciauerim, Ipsi uerò contempserint minas, & iudicium meum. Misi enim ad eos Prophetam Eliam, Mox Helizæum, & alios, qui fideliter ipsos præmonuerunt, sed ecce, quo diligentius præmonebantur, eò pertinaciores fiebant, & quò fidelius per uerbum meum ad resipiscentiam uocabantur, eo maiora & atrociora ipsi scelera designabant, contemnentes & ridentes minas, & iudicium meum.

Ad eundem modum nos Germani, nos gerere solemus: Germanorum ignauia in capescenda poenitentia.
 Cùm enim ex uerbo Domini admonemur nostrorū peccatorum, & adnunciatur nobis, quòd propter peccata à Turca aut à lia quadam calamitate opprimendi simus, non serio afficimur, neq; putamus Deum tam seuerè animaduersurum, securi igitur ridemus. Cùm autē aliquis ex Astris uel uaticinijs Sibyllarum malum aliquod, aut diluuium prædicit, quemadmodum superioribus annis factum est, toto pectore exhorrescimus, & commouemur. Sed quid? putas Dominū Deum nostrum inultam posse ferre hanc nostram peruersitatem, qua plus fidei Astrologis, & Sibyllarum uaticinijs tribuimus quàm uerbo & minis suis? Nihil certè minus. Quare quam deuastationem & desolationem hoc loco Deus minatur Ephraim, eandem procul dubio nobis quoq; minatur, dicens: Germania in desolationem erit, in die corruptionis, præmonui quidem eam fideliter, sed quotusquisq; fuerit, qui serio de præmonitione cogitauerit, quare subita calamitate circumuenietur, neq; se poterit ex suis malis extricare.

Quæri autem potest hoc loco, unde Oseas habuerit, quòd non aliter ad arma clamauerit, quàm si in conspectu suo habuisset omnem hostium apparatus bellicum? tamen tunc temporis omnia erant tranquilla? Et fieri potest, ut rex Alsyrionū nondum cogitauerit de deuastando regno Israelis? Respondeo: supra dixi prophetas fuisse speculatores & uigiles populi, collocauit igitur eos Deus in editiorem locum & speculam, Nempe in legem suam diuinam. Constituti autem in hac, facillimè ex contemptu uerbi Dei, & ex peccatis populi siue auditorum suorū, de aduentu hostium & deuastatione regionis iudicare possunt. In lege enim Deut. xxviii. dicit Dominus. Si non audiueris uocem Domini Dei tui, ut custodias, & facias omnia mādāta eius, & ceremonias, quas ego præcipio tibi hodie, uenient super te omnes maledictiones istæ, ducetq; te Dominus, & regem quem

Prophetae sunt speculatores.

constitues super te in gentem, quam ignoras tu & patres tui. Et iterū. Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus, in similitudinem Aquilæ uolantis cū impetu, cuius linguam intelligere non possis, gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur paruuli. Leui. xxvj. Disperdam terram uestram, & stupebunt super ea inimici uestri, cū habitatores illius fuerint, &c.

Specula
Propheta-
rum.

Ecce hæc est specula & turris illa, super quam constituti sunt Prophete. Videntes igitur (ut diximus) auditores suos a deo non audire uocem Domini, aut obedire uoluntati diuinæ, ut etiam rideant, non aliter ad arma hortantur, quàm si hostes iam obsidione cinxissent ciuitatem. Coram conspectu. n. Domini Dei nostri obsidio non æstimatur iuxta oculos hominum, sed iuxta sententiam Dei latam contra inobedientem populū, & ex manifesto facto, quod iuxta immutabilem ordinationem est futurū.

Deinde, Desolatio non finietur in Israel, sed permanebit usq; ad Iudam, Effundam (inquit Dominus) furorem meū tanquam aquam super Iudam, hoc est, abundanter effundam iram meam in omnibus locis Regni Iuda, ita ut non reperiatur angulus, in quo non sentiat ira mea. Quare? Quia Principes Iuda, similes facti sunt agricolis qui solent inuicem transferre limites agrorū. In lege Deut. xix. prohibetur, ne quis transferat terminos Agri proximi sui, Et Deu. xxvij. Maledictus, qui trāsfert terminos Agri proximi sui, & omnis populus dicat Amen. Contra has leges peccabant Magistratus & subditi in Regno Iuda. Subditi transferebant terminos, hoc est, erant auari, alienorū bonorum raptores, quos uo care posses fures fundi. Magistratus autem nō curabat, quàm iustè, sed quàm latè regnaret, & fines imperij sui contra uicinos suos propagaret, quod certè nihil aliud est quàm iniusta rapina & præda. Cum igitur uulgus unà cum Magistratu hoc solum agunt ut furentur & prædentur, ueniet propediem Dominus, & eijciēt principes unà cum uulgo, æquum enim est, ut qui contra leges plus habere cupit, omnibus suis bonis priuetur.

Terminos
transferre.

Ephraim
cur desolā-
tus.

Alia causa propter quam Ephraim, seu Israel desolandus sit, Quia (inquit) Ephraim uim patitur, & iudicio conteritur, eo quod secutus est mandatum, hoc est, in regno Israel, neq; iustitia, neq; æquitas reperit, potentior opprimit impotentiorē & iustiorē se, peruertuntur iudicia, Principes non iudicant secundum legem

gem diuinam, sed tantum iuxta sua beneplacita & edicta. Deus enim non solum ceremoniales siue Ecclesiasticas, uerum etiam politicas siue ciuiles leges, populo Israel præscripsit, iuxta quas in ciuilib. causis iudicarent. Vnde in coronatione Regis liber Deuteronomij regi in manus legendus tradebatur, ut ex eo disceret rectè, atq; iustè iudicare. Sed quid fecere Principes? Legem à Domino negligebant, & sua edicta siue beneplacita populo obtrudebant, dicentes. Sic uolo sic iubeo, sit pro ratione uoluntas.

Idem apud nos Germanos fieri uidemus, quod olim Israeliticus Magistratus fecit: habemus. n. leges ciuiles siue Imperatorias, quæ & ipse sunt ordinationes Dei, Propterea quod ipsi in Romanū imperiū à Deo ordinatū & approbatum sit. Et iuxta has leges in ciuilib. causis est iudicandū. In ciuilibus, inquam, nam in diuinis reb. iudiciū ex uerbo Dei est petendum. Ecce aut̄ in quib. confistorijs & iuditijs procedit̄ secūdum leges ciuiles: Certè minima pars Magistratum aut iudicum secūdū leges pronunciat sententias, sed sua nituntur propria sapientia, opinione & affectu, i- deoq; fit, ut interdum etiam innocentes capitis condemnentur: neq; est, quòd se excusatos existiment, propterea quòd sint Domini terræ, & penes ipsos sit uel sic uel aliter iudicare. Nam hoc loco ostendit Oseas, Deum talibus iudicibus uehementer irasci, Ita enim sequitur, Ero (inquit Dominus) domui Ephraim tinea, & tanquam putredo domui Iuda. Perdam ambo regna propter istas iudicum calumnias, & quemadmodum tinea paulatim arrodunt uestes, & putredo siue teredo erodit ligna, ita ego paulatim ambo regna, in quibus iniquæ feruntur sententia, proinde uastabo. Has minas Deus factò quoq; adimpleuit, primò in regno Israelis, quod initio quidem per Syros, deinde per Tiglath Pileser, postremò per Salmanasser afflixit. Deinde regnū Iuda quoq; initio per Saneherib, regem Assyriorum, quando regnum Israelis deuastabat, postea iterum per Assyrios tempore Regis cui nomen erat Manasse. Mox per regem Aegypti Pharaonem Necho. Postremò per Nebucadnezarem regem Babyloniam, subinde magis atq; magis afflixit, donec uel tandem funditus ambo regna deleuerit. Sciamus ergo Romanum quoque Imperiū Deo, propter iniquitatem iudicum poenas tandem daturum. Imò uidemus & sentimus re ipsa, iram Dei Romanū Imperium paulatim consumere. Græciæ enim & Asiæ regna à Tur

Iudiciorū
processus
apud Ger-
manos
qualis.

ca sunt occupata: neq; potuerunt hactenus recuperari. Rhodus celeberrima insula olim Romano Imperio subiaccens, nūc à Turcis possidetur. Maxima quoq; pars Vngariæ miserrimè à Turcis uastata est. Et procul dubio maiores sequentur calamitates, donec paulatim uniuersum Imperium funditus deleat. Deus Opt. Max. iram suam clementer à nobis auertere uelit, Amen.

ET VIDIT EPHRAIM LANGVOREM SVVM, ET IVDAS VINCVLVM SVVM, ET ABIIT EPHRAIM AD ASSVR, ET MISIT AD REGEM IABES, ET IPSE NON POTERIT SANARE VOS. NEC SOLVERE POTERIT A VOBIS VINCVLVM.

QVIA EGO QVASI LEÆNA EPHRAIM, ET QVASI CATVLVS LEONIS DOMINI IUDA. EGO CAPIAM ET VADAM, TOLLAM ET NON EST QUI REVERTAT. VADENS REVERTAR AD LOCVM MEVM DONEC DEFICIATIS ET QVÆRATIS FACIEM MEAM.

IN TRIBVLATIONE SVA MANE SVRGENT AD ME: VENITE ET REVERTAMVR AD DOMINVM: QVIA IPSE CEPIT ET SANABIT NOS, PERCVTIET ET SANABIT NOS.

VIVIFICABIT NOS POST DVOS DIES. IN DIE TERTIA SVSCITABIT NOS, ET VIVEMVS IN CONSPECTV EIVS.

SCIEMVS SEQVEMVRQVE VT COGNOSCAMVS DOMINVM. QVASI DILVCVLVM PRÆPARATVS EST EGRESSVS EIVS, ET VENIET QVASI SI IMBER TEMPORANEVS ET SEROTINVS TERRÆ.

Cum igitur calamitas in utroq; regno subinde cresceret, ita ut incolæ iam inciperent aliquo modo intelligere suum languorem, videlicet, q̄ propter peccata sua deuastandi & desolandi essent, Quid quæso fecerunt? Aut à quibus auxilium contra suam calamitatem petierunt? Hoc ipsum nimirum fecerunt, quod solent hi, qui uoluntatem & consilium Dei in affligendis peccatoribus non agnoscunt. Quando. n. Deus peccatores affligit, non facit hoc animo, & proposito, ut prorsus eos perdat, repellat atque abijciat. Si. n. hæc ipsius esset uoluntas, certè, non percuteret aut affligeret, sed sineret ipsos pro sua libidine in quæuis uitia ruere, & prorsus in eis perire. Vnde in Ezech. ca. xvj. ad Ierusalem ait, Requiescet indignatio mea in te & auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius. Non erudit pater, nisi quem diligit filium. Non castigat præceptor discipulum, nisi quem felicioris cernit ingenij. Medicus si cessat adhibere medicinam, de sanitate desperat. Ita Dominus Deus noster quando de Resipiscentia peccatoris desperat, cessat affligere, usq; ad suum tempus. Afflictio ergo certissimum signum est promptæ uoluntatis Dei erga peccatorem: non enim afflictione à se repellere, sed quasi torque uel catena propius ad se uult trahere peccatorem, ut

Afflictionū
ratio.

ut respiscat, & uias suas emendet. Nolo (inquit) mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Hanc uoluntatem Dei in puniendis peccatoribus, infideles & contemptores uerbi, ex quo solo hæc uoluntas Dei cognoscitur, ignorant. Igitur quo grauius à Deo affliguntur, eo longius à Deo recedunt. Et quo plus Deus ipsos afflictionibus uisitat, eo longius se à facie Dei abscondunt. Ad hæc, quo plus Deus ipsos per afflictiones inuitat, ut ad se ueniant & suum auxilium implorent, eò magis peregrina & mundana auxilia quærunt. Sed ad Israel & Iudam accedemus, qui eodem exemplo primùm per Prophetas uerbis increpati sunt, non ut abijcerentur, sed ut abiectioem effugerent, & propius ad Dominum adducerentur. Deinde cum uerbis nihil efficere-
 tur, paulatim incepit eos affligere factis, hoc est, externis hostibus, iterum non hoc consiliò, ut perderentur, sed ut à perditione liberarentur. Ecce autem, hoc consilium Domini noluerunt intelligere, sed derelicto auxilio Dei, ab alienigenis regibus petierunt auxilium: miserunt enim ad Regem Assyriorum, quem dicunt uocatum fuisse Iareb (quamuis alij existiment Iareb fuisse Metropolitim regni Assyriaci, in qua habitauerint reges Assyriorum) implorantes auxilium eius, quo suum regnum conseruare & à ui hostium defendere possent. De Menahem rege Israelis, legitur iij. Regum decimo quinto, quòd dederit Phul Regi Assyriorum mille talenta argenti, ut esset ei in auxilium, & firmeret Regnum eius. Ahaz quoq; rex Iuda, & si Esaias mandato diuino promississet ipsi auxilium Dei, illudq; miraculo confirmare uellet, tamen missis legatis ad Tiglath Pilæser regem Assyriorum, auxilium eius implorat, dicens: Seruus tuus, & filius tuus ego sum, Ascende, & saluum me fac de manu Regis Syriæ, & de manu regis Israel, qui consurrexerunt aduersum me. Et cum collegisset aurum & argentum quod inuenire potuit in templo Domini & in Thesauris regis, misit regi Assyriorum munera.

Sed quid ad hæc peregrina & humana auxilia dicit Dominus? Ipse (inquit) non poterit uos sanare, nec soluere poterit à uobis uinculũ. hoc est, Maledictus qui derelicto Domino Deo suo, confidit in homine, confundetur enim uel tandem & destituetur omni omnium hominum auxilio. Videtur quidem initio humanum auxilium ualde prodesse, sed in fine adeo nihil prodest, ut maximè obsit & noceat. De externis auxilijs rectè di-

Infidelium
& contem-
ptorũ uer-
bi mos.

Iareb.

Menahem.

Phul.

Ahaz.

Humana
auxilia ba-
sulis arun-
dineus.

cit Rabsaces apud Esaiam capite xxxvj. Aegyptum esse baculum arundineum confractum, cui si quis innixus fuerit, intrabit in manum eius, & perforabit eam. Exemplum habes in Amazia rege Iuda, ij. Paral. xxv. Qui mercede conduxit de Israel centum millia robustorum centum talentis argenti, sed illi ipsi tandem diffusi in ciuitatibus sui Regni, diripuerunt prædam magnam. Et quid opus est alienis exemplis, cum quotidiana doceat experientia aliena auxilia potius obesse quàm prodesse. Et si n. aliquoties conscribere solemus exercitū ex militibus, tamen non diutius illi iuuant quàm dum sperant lucrum, quo cessante, qui antea iuuerant, peiores efficiuntur hostibus. Sperant hoc nostro tempore Papistæ in causa sua contra nos (qui relicta impietate Papistica Euangelio Christi nomina dedimus) non à Deo, aut uerbo eius auxilia, sed à ciuili magistratu, quem maximis muneribus sibi conciliant. Accidet igitur eis iuxta ueterem morem, ut adiuuentur, donec spes nummorum affulserit. Et iuxta dictum illud. Papæ defensores, deuastatores eius. Accidit id duobus Regnis Iuda & Israel, Iuuabantur enim à Regibus Assyriorum, donec mittebant eis munera, his autem cessantibus, cessabant quoq; auxilia, ut est uidere in Phul, qui Regnum quidem Menahem initio confirmauit, sed idem postea deuastauit. Et in Tiglath Pilazer, qui regi quidem Ahaz auxilium tulit, sed cum Ahaz non amplius quod daret, haberet, tandem ipse cum suis posteris Regnum Iuda deuastarunt. Vides igitur humana auxilia initio quidem prodesse, sed quo magis ab initio profunt, eo magis in fine obsunt.

Papæ defen-
sores, deua-
statores
eius.

Deus cur
Leoni com-
paretur.

Sed quare Assyrius non potuit sanare languorem Ephraim & Iuda? Quia (inquit) ego sum uelut Leo Ephraim, & uelut catus Leonis domui Iuda. Leonum hæc est natura, ut fame correpti more Tyrannorum, non in quæuis obuia animalia tantum sæuiant, uerum etiam dilaniant homines, neque pueris parcunt, & nacti prædam, tanta uiolentia abripiunt, ut ab hominibus prohiberi nullo modo possint. His ergo se comparat Dominus, & ait se simili sæuitia grassaturum contra incolas Regnorum Israel & Iuda. Et, (ut sciant) sæuiam contra eos per Assyrios & Babylonios (quorum opera, tanquam carnificum uitæ) & discerpam eos, & tanquam Leo suam prædam, Ita ego diripiam & dispergam eos in terram hostium suorum, neque erit

erit ulla creatura quæ eos contra sæuitiam meam iuuare poterit. Reuertar quoque domum, hoc est, abscondam ab eis omnem meam clementiam & misericordiam, donec magnitudine calamitatum & afflictionum suarum, cogantur à me solo auxilium petere, & misericordiam meam implorare.

Hunc enim morem Deus obseruat, ut si uiderit populum suum, aut priuatum aliquem hominem, nihil moueri uerbis, aut minis suis ad Resipiscentiam, & ad collocandam in ipso spem suam, subinde ipsum in grauiores conijciat calamitates & miseras, ut uel tandem omni humano auxilio destitutus, ad ipsum solum recurrat & auxilium eius imploret. Sic oppressit Israelitas in Aegypto, & coegit eos, ut ad se pro liberatione clamarent. Sic Manassen Regem, de quo secundo Paralip. trigesimo tertio ita scribitur: Manasses seduxit Iudam & habitatores Ierusalem, ut facerent malum super omnes Gentes, quas subuerterat Dominus à facie filiorum Israel. Locutusque est Dominus ad eum, & ad populum illius, & attendere noluerunt, Idcirco superinduxit eis Principes exercitus Regis Assyriorum, coeperuntque Manassen, & uinctum catenis, atque compedibus, abduxerunt in Babylonem. Qui postquam coangustatus est, orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam ualde coram Deo, &c. Ita solet Dominus Deus noster immorigeros docere Mores, & ita tractare, ut calamitatibus oppressi faciant id quod antea uerbis atque minis moniti nunquam faciendum suscipere uoluerunt.

Sic Iudam sub Imperio Babylonico septuaginta annos tam grauitè oppressit, ut tandem Daniel motus diuturno exilio, pro populo cogeretur intercedere & solius Dei misericordiam implorare, ut est Danielis ix. Vides Dominum Deum nostrum esse optimum præceptorem, qui etiam contumaces & eos, qui nullis minis & promissionibus antè flecti poterant, compellit, ut faciant quod sui est officij. Vnde hoc loco per Oseam dicit, Vadam ad locum meum, donec funditus pereant. In periculis enim constituti, uenient ad me mane, hoc est, cito & tempestiuè, imploraturi meum auxilium, atque accidet eis quod Prouerbiū germanicum dicit, Discunt natate illi, quibus iam instat periculum suffocationis. Quod Dominus hoc loco, de suo populo dicit, testatur uerum esse liber Iudicum

Dei mos in
affligendo
immorige
ros.

Dei mos in
affligendo
immorige
ros.

Dei mos in
affligendo
immorige
ros.

multis in locis. Nunquam. n. potuit Deus eos compescere & eò adducere, ut obedirent, & ipso solo confiderēt, donec traderet eos in manus hostium suorū affligendos & opprimendos. Coacti igitur summis periculis incipiebant ad ipsum confugere, & opem eius implorare. Ideo inquit Deus: In tribulatione sua accelerabunt ad me, & se inuicem exhortabuntur, dicentes, Agite, reuertamur ad Dominum & ipsius opem implorabimus. ac si dicerent: uidemus actum esse de humano & mundano auxilio. Cum. n. illo maximè opus est, deserimur ab eo. Dominus autē Deus noster is est, qui solus uerè adiuuare pōt. Quare & si nos dilacerauit tanq̄ leo, tamen dilacerauit nos propter salutem nostram, & hoc est consiliū eius, ut per dilacerationem illam cupiat nobis salutem conferre. Ipse nos quidem uulnerauit, ergo rursus nos sanabit, Hoc. n. consilio percutit, & uulnerat, ut per uulnerationem nos quasi ad ueram sanitatē & salutem ducat atq; trahat. Breuiter, omnino tractabit nos, sicut peritus Chirurgus, qui uulneratum sine omni medicamento duos integros dies iacere finit, die autem tertio curam eius suscipit, & medicamenta adhibet. Ita Deus nos hactenus in nostris miserijs & afflictionibus absq; omni auxilio, & medicamento iacentes dereliquit. Agite ergo, reuertamur ad eū: die enim tertia uiuificabit nos, hoc est, miserebitur nostri, & curabit nostra uulnera, ut posthac coram ipso sanam possimus uitam agere.

Deus fungitur officio periti Chirurgi.

Consolatio afflictorū.

Pulcherrima hæc est admonitio, qua omnes afflicti rectè & utiliter uti possunt, ut in omnib. suis afflictionib. ad solū Dñm Deum nostrum tanquam autorem afflictionū suarum confugiant, & ab ipso liberationem & consolationem perant. Deus. n. solus is est, qui percutit & liberat, Qui uulnerat, & sanat. hoc est, ut Anna mater Samuelis ait, Dominus mortificat & uiuificat, deducit ad inferos & reducit &c. Ideo q; proponitur nobis primò ut ex ea discamus Deum esse autorem afflictionum, quas impij aliàs Diabolo, aut malis hominib. adscribere solent, Deinde, ut solum Dominum Deum nostrum in omni tribulatione inuocemus, Postremò, ut ad patientiam, & ueram fiduciam excitemur: ad patientiam quidem, eò quòd Deus ex bona uoluntate sua nos affligat: ad fiduciam uerò, eò q̄ Deus ipsemet chirurgus noster esse uelit. Eo enim ipso q̄ nos uulnerat, significat se esse eum, qui uelit nos sanare, & per uulnerationem ad maiorem sanitatem

fanitatem, atq; salutem promouere.

Sequitur in mutua exhortatione Israelitarum. Et sciemus, hoc est, ex liberatione Domini Dei nostri cognoscemus, q̄ nos non animo hostili, sed ex affectu paterno afflixerit. Non quidem interea dum uerberamur, beneuolentiam & promptum eius erga nos animum sentimus, sed ex sequenti auxilio facilè intelligi potest, uerba eius maximam præ se tulisse clementiam & beneuolentiam. Quare cum affligimur, non intueamur afflictiones iuxta externam speciem, sed iuxta uoluntatem Dei, ut in eis constanter perseueremus, & propter eas à Deo non recedamus.

Quid præterea faciemus? Incumbemus, inquit, in id, ut cognoscamus Dominum. Vexatio (inquiunt) dat intellectum. In afflictione quid agendum. Cum enim nos Deus uarijs exercet calamitatibus & uexationibus, tunc incipimus cognoscere Dominum, id quod fit cum uerbū Domini ob oculos nostros ponimus, & uitam nostram iuxta illud instituiamus. Habitat enim Deus in obscura nube, neque potest homo per se, ipsum cognoscere, uerbum autem Dei lucerna illa est, quæ nos non tantum ducit ad cognitionem Dei, sed etiam ostendit, quæ mens & uoluntas Dei sit erga nos, & quid nobis agendum, ut beneplacitum sit illi in nobis.

Sequitur. Quasi aurora præparatus est egressus eius, & ueniet quasi imber nobis temporaneus, & serotinus terræ. Ut nihil est iucundius & amabilius aurora, & ut nihil est omnibus ijs, quæ ex terra nascuntur utilius imbre serotino. Ita egressu siue auxilio Dei afflictis nihil est iucundius & utilius. Opera ergo summa danda est, ut in omnibus afflictionibus nostris, auxilium & consolationem ex uerbo Dei consequamur.

Hæc est simplicissima, meo quidem iudicio, sententia uerborum Osee, quibus indicat Iudæos se mutuo exhortaturos, & dicturos, Venite & reuertamur ad Dominū, quoniam ipse lacerauit & sanabit nos &c. Possunt autem etiam de temporibus Christi filij Dei intelligi, nempe, ut conueniant cū concione, quam Esaias ij. & Micheas ca. iij. habuerunt de Christi temporibus, ita enim dicunt. In nouissimis temporibus, erit mons domus Domini præparatus in uertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos uias suas. Quemadmo-

dum. n. apud Elaiam & Micheam gentes se inuicem exuscitant ad cognoscendū Dominum Deum nostrum per filium suum Christum, ita exhortantur se inuicem apud Oseam hoc loco credentes Iudæi, ut post tot miseras & calamitates suas, deinceps Christo nomina dare, & ipsi adhærere uelint. Hunc. n. solum & unicum esse, per quem ab omnibus ærumnis suis possint liberari. Nam postquam tertia die resurrexit à mortuis, Primò attulit sua Resurrectione omnibus in ipsum credentibus consolationem, auxilium & liberationem. Deinde æternam uitam. Postremò Spiritu sancto suo donauit, cuius uirtute atq; auxilio deinceps uerum Deum, & promptam eius erga se uoluntatem, cognoscant. Nam Ioan. cap. xiiij. Christus ipse S. sanctum promisit dicens, Paracletus quem Pater uobis mittet in nomine meo docebit uos, & suggeret uobis omnia, quæ ego locutus sum uobis.

CAPVT VI.

QUID FACIAM TIBI EPHRAIM? QUID FACIAM TIBI IYDA? MISERICORDIA VESTRA QVASI NUBES MATVTINA, ET QVASI ROS MANE PERTRANSIENS. PROPTER HOC DOLAUI IN PROPHEtis, ET OCCIDI EOS IN VERBIS ORIS MEI: ET IVDITIA TUA QVASI LVX EGREDIENTVR. QVIA MISERICORDIAM VOLO ET NON SACRIFICIUM, ET SCIEN TIAM DEI PLVS QVAM HOLOCAVSTVM. IPSI AVTEM SICVT ADAM TRANSGRESSI SVNT PACTVM, IBI PRÆVARICATI SVNT IN ME.

Hypocrisis
os accusa-
tio.

Nouam in hoc capite instituit Oseas accusationem contra utrumq; regnum Israelis & Iudæ, propter ipsorum simulatam, hypocriticam, & inconstantem iusticiam, & quo uehementior sit accusatio admirabundus quasi incipit, dicens. O uos in colæ, regnorum Iudæ & Israel, quid de uobis primo loco dicam? Quomodo me erga uos geram? Quid de uobis sentiam? aut quanti uos aestimem? Quid dicam de peccatis uestris? Aut quid de uestra iusticia sentiam? considerans enim pietatem & iusticiam uestram, inuenio eam prorsus esse nullam, imò nebulones estis omnes intus & in cute. Lubens quidem parcerem (inquit Deus) uobis propter pietatem uestram, sed ecce inuenio apud uos meram & crassissimam hypocrisim, & quæ uix umbra est ueræ pietatis, Et (ut dicam quod res est) uestra iusticia & beneficentia, quam erga proximos, miseros, afflictos, egenos, & in necessitate constitutos exercetis, similis est auroræ matutinæ, quæ

quæ citissimè oriente sole euanescit. Aut rori, qui breui quidem tempore terram humectat, statim autem, atq; sol oritur, ita euanescit, ut nescias quo abierit. Pauperibus quidem interdum elemosynam datis, sed talem, quæ uix obulo æstimatur, amplius uere Beneficentia hypocritica. ne teruncium quidem exhibetis. Vicinis uestris inferuire quidem uos interdum uideo, sed non diutius fauetis eis, quàm ipsi erga uos se bonos uicinos præstiterint. Cùm uero cœperint uobis minima in re aduersari, extremo odio eos prosequimini, & ne teruncio quidem (etiamsi fieri posset) ex inferni igne redimeretis. In amicos uestros interdum conferitis beneficium aliquod, sed tantisper dum speratis ipsos cumulatè posse reddere. Quid hæc ego Ethnicam, hypocritam & carnalem beneficentiam uestram approbarem? Minimè gentium. Est enim talis quæ careat fide & timore Dei, neq; ex uero corde proficiscatur. Audi uisti querelam de Iudæorū beneficentia, pietate atq; Misericordia hypocritica, sed an non etiam nos Christiani eadem reprehensione digni sumus? Maximè omnium. Nam & inter nos beneficentia erga proximum penè extincta est, & optandum esset, ut saltem Ethnicam illam & carnalem beneficentiam exerceremus: grauamur enim cum pauperibus obulus pro elemosyna est dandus. Vicinos nostros omni beneuolentia nos complectentes, odio prosequimur, & sumus erga eos ingrati. Benefactoribus & amicis nostris, à quibus magna accepimus beneficia, nullam referimus gratiam. Quid igitur faceremus erga malos uicinos, & inimicos nostros? Ecce adeo recessimus à uera pietate, & iusticia, ut ne Ethnica quidem, & Publicanorum iusticia apud nos reperiat. Et quis tandem locus maiori impietati est relictus? Certè si mores nostros (ut debemus) considerauerimus, inueniemus nos maiori, & atrociori pœna dignos, quàm Tyrum, Sidonem, Sodomitas & Gomorritas. Sed quomodo Deus se gessit erga Iudæorum hypocritam & euanidam beneficentiam, Aut quid contra eos instituit? Propter hoc (inquit) primo dolui incolas regnorum Israel & Iuda per Prophetas, hoc est, Excitauit ego Prophetas, quos ablegauit in utrunq; regnum, ut concionibus suis dedolarent hypocritam eorum iusticiam, hoc est, ad resipiscenciam reuocarent, atq; indicarent eis, quòd non tantum in manifestis suis operibus malis, uerum etiam in summa sua iusticia & pietate peccent, & iniquè agant. Deinde (inquit) occidi eos in uerbis

Occidi uerbo oris Dei quid sit.

oris mei, hoc est, præcepi Prophetis meis, ut ex uerbo meo in colis regnorum Iuda & Israel indicent, quòd si iustitia ipsorū non fuerit melior & perfectior, certissimū esse ut non uitam (quam ipsi in ea quærūt & sperāt) sed potius mortem corporis & animæ suæ reportaturi sint. Corporis quidē, quia hostes regna eorū de uastaturi & ipsos occisuri sint. Animæ uerò, eo quod imperfectissima, & sordidatissima ipsorum sit pietas, & iusticia. Notandū autē hoc loco quòd dicit, Occidi eos per uerbum oris mei. Nam Prophetæ eo ipso quod ex lege & uerbo Domini impijs & trāgressoribus mortem minantur, optimo iure & reuera de ipsis dici potest, quod occidant homines. Ita enim & Paulus ipse de concione legis diuinæ testatur, dicens: Lex iram operatur. Et iterū: Litera occidit. Ita dedolauit Deus per Prophetam Elaiam capite i, & occidit eos, nisi resipiscant: Quo mihi multitudo uictimarum uestrarum, dicit Dominus: plenus sum, holo caustum arietum, & adipem pinguium & sanguinem uitulorum, & agnorū, & hircorum nolui &c. Et paulò post, Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum uestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruersa, discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo &c. Quòd si uolueritis & me ad iracūdiam prouocaueritis, gladius deuorabit uos. An non hoc est dedolare homines propter suam imperfectam & hypocriticam iusticiam. Imò prorsus propter inobedientiam & impudentiam occidere. Sic dedolauit Deus per Micheam hypocritam cap. vj. Quid dignum offeram Domino, Curuabo genu coram Deo excelso? Nūquid offeram ei holo cautomata & uitulos aniculos? Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum? aut in multis millib. hircorum pinguium? Et per Ierem. cap. vij. Hæc dicit Dominus exercituū Deus Israel, Holo cautomata uestra addite uictimis uestris, & comedite carnes. Quia non sum locutus cum Patribus uestris, & nō præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti de uerbo holo cautomatum & uictimarū: sed hoc uerbum præcepi eis dicens, Audite uocem meam & ero uobis Deus &c. Similiter Christus Matt. v. Nisi abundauerit iustitia uestra plus quam Scribarū & Phariseorum, non potestis intrare in regnum cœlorum. His uerbis Christus nihil aliud agit, quàm quod uult dedolare suos auditores propter hypocriticam suam iusticiam, atq; eos, nisi resipiscant, in æternum damnare.

Dedolare
homines
propter
peccata.

Quare

Quare autem, & quo consilio solet Deus ita dedolare homines: Sequitur, Vt iusticia tua, quasi lux egrediatur, hoc est, ut scias manifestè, & apertè cognoscas propter quid iudicaris & puniaris. Nā si ex improviso & absq; omni præmonitione uerbi mei te afflixissem, cuius potius rei, quàm peccatis tuis pœnam adscripsisses, neque potuisses cognoscere, quomodo ex pœna emergendum esset. Nunc autem quia præmissi Prophetas, qui ex lege indicarūt peccata, & futura supplicia, non potes alteri rei, quàm peccatis tuis calamitatem adscribere. Dedolatio igitur profuit, Primò, ut in lucem adduceretur iniquitas Israelitarum, deinde ut manifestaretur pœna, quæ propter iniquitatem erat secutura.

Afflictio-
num ratio.

Alij hunc locū ita reddiderunt: Dolui Prophetas, & occidi eos uerbis oris mei. Quæ si uera est translatio, absq; dubio contra Pseudopphetas uaticinat, & erit hæc sententia. Cùm Israelitarum pietas, & iusticia, prorsus hypocritica sit, prophetas eorū ex quibus hanc suam hypocrisin didicerunt, primò quidem per Eliam, deinde per Iehu regem occidi, atq; hac occisione dedolui eos, ut cognoscerent auditores Israelitæ, quæ eos pœnæ mernerent, si hypocrisim suam non abijcerent, atque ab ea resipiscerent. Si. n. Dominus non pepercit Prophetis falsas doctrinas proponentibus. multò minus parceret auditoribus, falsam Pseudopphetarū doctrinam approbantibus. & sequentibus. Sed pergamus.

Explicat. n. Propheta quæ sit uera iusticia, & separat eam à falsa & hypocritica, dicens in persona Domini Dei nostri: Misericordiam uolo, & non sacrificium, & scientiam Dei, plus quàm holocaustum. Breue hoc dictū, Christo Domino nostro tanto pere placuit, ut bis eo in suis concionibus sit usus, & ad illud perdiscendum Pharisæos ablegauerit, ut ex eo discerent, qui ueri, & Deo accepti sint cultus, dicens Mat. ix. Ite, & discite quid sit, Misericordiam uolo, & non sacrificium. Et ca. xij. Si sciretis quid illud sit, Misericordiam uolo, & non sacrificiū, non condemnaissetis innocentes. Proinde probè animaduertendum, & alta mente reponendū erit. Dicit ergo Dominus, Misericordiam uolo, & non sacrificium, quasi dicat: Iusticia uera, & rectus cultus, mihi placens, & quem uerbo meo præcepi, non est sacrificiū, aut holocaustum, sed Misericordia, id est, Liberalitas & beneficentia erga proximum, siue amicum siue inimicum, ut est afflicto consolari, infirmos recreare, egenos adiuuare, contemptos honora

Iusticia ue-
ra & rectus
cultus.

Misericor-
diæ opera.

re, oppreffos tueri, Simplioribus confulere, ægrotantes uifita-
re, elurientes cibare, fitientes potare, nudos uestire, errantibus
ueram uiam monftrare, pro peccatoribus orare, innocentes de-
fendere, impios ad pœnitentiam exhortari, & pro fua uocatio-
ne reprehendere, & alia his fimilia, quibus proximo inferuire
poffumus. Hi. n. funt preciofi, & fancti cultus diuini, a deo Domi-
no Deo noftrò placentes, ut in nouiffimo fuo iudicio fingulari
ftudio nos de ijs fit perconctaturus, quem admodũ teftat Chri-
ftus Mat. xxv. Cum hoc dicto conuenit quoq; refponfio Scribæ
Marci xij. cui Chriftus dat teftimonium, q̄ fapienter refponde-
rit. Ita. n. ait. Vnus eft Deus, & non eft alius præter eum. Et ut dili-
gatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex
tota fortitudine, & diligere proximum tanquàm feipfum, ma-
ius eft omnibus holo cauatibus & facrificijs.

Cognitio
& fcientia
Dei.

Deinde dicit, Et fcientiam Dei plus quàm holo caufa. In lege
fumum & excellentiffimum fuit facrificium holo caufti, nihi-
lominus tamen hoc loco præfert Deus huic facrificio fcientiam,
uel cognitionem Dei. Cognitio aut̄ Dei nihil aliud eft, quàm fi-
des in Dominum Deum noftrum per Iefum Chriftum. In qua
cognitione confiftit æterna noftra falus, ita enim ait: Hæc eft uita
æterna, ut cognofcant te Deum uerum, & quem miffi filium
Iefum Chriftũ. Nemo enim uidit Deum unquam: filius autem
unigenitus, qui eft in finu Patris enarrauit nobis. Auspiceẽ ergo
à Chrifto & uerbo Dei reuelato, quisquis uerè uult uerum De-
um cognofcere. Cũ autem fermo fit de cognofcendo uero
Deo, non loquimur de effentia Dei, hæc enim nullo modo in
hoc mundo perfectè cognofci poteft, fed loquimur de mente,
uoluntate, atq; confilio Dei, horum. n. cognitio affert fècum æ-
ternam fœlicitatem. Exempli gratia. Cũ quis contumelia affici-
tur à proximo fuo, adeo ut periclitetur de fama nominis fui,
Quid faciat, ut in hac contumelia Deũ cognofcat? Accipiat præ-
manibus uerbum, & promiffiones Dei, uel accipiat Dominum
noftrum Iefum Chriftum, æternum uerbum Dei, in quo om-
nes promiffiones funt etiam, atq; amen, & uidebit, quod nam
cor, & quæ uoluntas Dei fit. Primò enim uerbum ita fonat. Beati
Deinde Chriftus ipfè per contumelias, & perfecutiones intrauit
in fœlicitatẽ & gloriam fuam. Ex hoc uerbo & promiffione, atq;
exemplo

Cognitio
ueri Dei
quomodo
in uſum
trahenda.

exemplo discere nunc licet, quòd hæc sit uoluntas Dei, nempe quòd per calūnias hominem uelit ducere in æternam gloriam.

Sumamus aliud exemplum. Opprimif quis paupertate, quo modo igitur in hac cognoscere potest, quæ sit uoluntas Dei? Respiciat in uerbum, & in Christū filium Dei, ut cognoscat quòd Christus quidem a deo pauper fuerit, ut non habuerit, quo reclinaret caput suum, sed per paupertatem collocarit ipsum Deus in summas easq; cœlestes diuitias. Quòd cùm fecerit Deus, illo ipso reuelauit uoluntatem suam, q̄ uelit omnes in Christum credentes ex paupertate liberare, & eos in cœlestes per Christum diuitias collocare. Sic de alijs calamitatibus imò de morte quoq; ipsa iudicare debemus, Nempe ut per Christum æternū uerbum Dei, discamus uoluntatem Dei cognoscere. Atq; placet hæc cognitio ipsi Deo plus quàm omnia sacrificia & holocausta, etiamsi in unum omnia congererent. Fuerunt quidem in lege uaria sacrificiorum genera præscripta, non autem fuerunt uera iusticia, quemadmodum opinabantur hypocritæ apud Iudeos, sed fuerunt umbræ unici & perfectissimi sacrificij Domini nostri Iesu Christi, semel in cruce oblatis, &c.

Sacrificia
in lege.

Potest hæc sententia etiam ad nostra tempora, & ad cultus nostros accommodari. Dicit. n. etiam ad nos Dominus: Misericordiam uolo, & non Missam, in qua quotidie corpus & sanguis Christi iterum Deo Patri pro peccatis offeruntur. Beneficentia erga proximum uerus cultus diuinus est, magis placens Deo quàm Missa. Vocarunt quidem patres Missam sacrificiū, sed non (quemadmodum Papistici sacrificuli intelligunt) quòd sit expiatio peccatorum, sed quòd sit Recordatio unici sacrificij Christi filij Dei. Ex hoc autem loco, uide, quæso, quàm iniquè nos calūnientur aduersarij, dicentes, nos abrogando & improbando Papisticas Missas abrogare ueros cultus diuinos. Verū quidem est nos improbare & reijcere impium & Idolatricum cultum Missæ Papisticæ. At in eius locum restituimus multos præclaros, & Deo acceptissimos cultus, hoc dicto, Nolo sacrificiū &c. Vnus abrogatur, & mille in eius locum restituuntur. Quòd autem clamant, nostros homines non statim hūc cultū misericordix siue beneficentiæ præstare. Quid? Ideo ne dicendum erit Missam esse piam, beneficentiā autē esse impiam, & Deo displicere? Absit imò uerbum Dei manet uerū, & præcipit ueros cultus, etiamsi

Missæ sacrifi-
cium di-
ctum.

Misericor-
dia & be-
neficentia
cultus.

homines sint impij & mali. Non est igitur quòd Euangelij do-
ctrinam accuses, sed potius unusquisque accuset seipsum, quòd
relieta impia & Papistica Missa, non exerceat se in his cultibus à
Deo præceptis. Verbum quidem Dei nobis quotidie inculca-
tur, & admonet nos, ut malum ita derelinquamus, ut loco eius
bonum faciendum suscipiamus. Quod igitur homines sunt ne-
gligentes, non debet imputari uerbo, sed nostræ ignauia. Igi-
tur, ut diximus, in hac sententia Prophetæ mandatur præcipu-
us & Deo acceptissimus cultus, Nempè, ut proximo nostro si-
ue amico, siue inimico beneficiamus. In primis uerò, ut Deum
cognoscamus, & mandatis eius obsequamur.

Pactum Do-
mini.

Sed quid? Num Israelitæ hos cultus diuinitus præceptos ea,
qua oportuit, diligentia peragendos susceperunt? Minimè (in-
quit) gentium, sed more primi Adami pactum meum relique-
runt, & me spreuerunt. Pactum Dei est Lex eius, per quam De-
us pactum cum Israelitis, & uicissim Israelitæ cum Deo inierunt,
ut est Exodi decimonono. Negligitur autem, & frangitur hoc
fœdus, quando neglectis ijs quæ Lex præcipit, unusquisque suas
cogitationes sequitur, quòd sicut Adam, qui mandatum illud,
quod acceperat de non uescendo fructu arboris prohibita ne-
gligens, & transgrediens, faciebat quod concupiscentia, & uxor,
Imò quod Diabolus suaserant. Eodem ingenio prorsus præ-
diti erant Israelitæ. Nam exemplo sui parentis, ea quæ Deus
uero suo præceperat negligebant, eaque uix digna æstima-
bant, quæ audirentur: proprias uerò suas adinventiones ad astra
usque extollebant. Quid autem hoc aliud est, quàm ex seipso
Deum facere, & peccare contra secundum præceptum Decalo-
gi, in quo præcipitur, ne nomen Domini in uanum sumatur,
aut contumelia afficiatur? Proculdubio ergo Deus hoc pecca-
tum seuerissimè uisitabit.

GILEAD CIVITAS OPERANTIVM IDOLVM, SVPLANTATA
SANGVINE.

ET QVASI FAVCES VIRORVM LATRONVM. PARTICIPES
SACERDOTVM, IN VIA INTERFICIENTIVM PERGENTES

DE SICHEM, QVIA SCELVS OPERATI SVNT.

IN DOMO ISRAËL VIDI HORRENDVM, IBI FORNICATI-
ONES EPHRAIM, CONTAMINATVS EST ISRAEL.

SED ET IVDA PONE MESSEM TIBI CVM CONVERTE-
RO CAPTIVITATEM POPVLI MEL.

Accusauit antea Dominus populum, quòd fœdus secum
inicum

inicum fregerint, & prauaricati fuerint. Nūc per partes diducit,
 ostendens aliquatenus, quibus reb. foedus seu lex Dei contem-
 pta sit, Primū in sacerdotibus, deinde in reliquis familijs Israel.
 Gilead, inquit, est ciuitas operantiū iniquitatem, & infidiatorū Gilead.
 sanguinariorum. De Ramoth (ni fallor) sermo est. Ea est ciuitas Ramoth.
 in montanis Gilead, in tribu Gad sita. Iosuaē xij. & sacerdotibus
 data in possessionem, præterea sanctificata ad refugium homici-
 darū, qui sanguinem non sponte effuderunt. Iosuaē xxj. Cū igitur
 tur in ea urbe deberent habitare Sacerdotes omniū sanctissimi, Reprehen-
 ecce reperiunt in ea nebulones omnium pessimi, & cum inno- sio concio-
 centum homicidarum refugium esse deberet, nihil tamen aliud natoris nō
 ibi est, quàm spelunca insidiose latrocinantium. Et qui sunt illi la- est conui-
 trones & prædatores? Sacerdotes. Sequitur. n. Collegium sacer- cium.
 dotum est, sicut acerrimus uirorū latrocinantiū, & instar eorū, qui
 ad partes diuidentes, latrocinant. Quid potuisset contumeliosi-
 us in ordinem sacerdotū dici? Nihilominus tamen comparant
 latronibus & prædatoribus, Et collegia eorum speluncae latro-
 num. Audientes igitur hæc homines delicatiores inuehuntur in
 Prophetas & ministros ecclesie, dicentes eos nihil aliud didicisse
 quàm calumniari suos auditores. Sed quid facias? Quemadmo-
 dū ciuile magistratus à Deo ordinatus est, ut homicidas gladio
 interficiat, quod quamuis uideat crudelitas & latrocinium, tamen
 quia Deus sic ordinauit & iussit, opus diuinum est. Ita Prophetæ
 à Deo uocantur, ut omnes homines à summo usq; ad infimum
 de peccatis suis arguant, quod quamuis uideatur conuictum, ta-
 men in Prophetis & ministris est officium, & obedientia erga
 Deum. Quare non conuictatur hoc loco Oseas, sed facit quod
 est sui muneris & uocationis. Iussus enim à Deo est, ut peccatori-
 bus sua peccata ostendat, quò respiscant & seruentur.
 Quare autem comparat sacerdotes Gilead latronibus & prædatori-
 bus? Quia inquit, scelus operati sunt, hoc est, data opera & bene
 deliberato consilio, immania perpetrant scelera. Quantū ex hoc
 loco colligi potest, Sacerdotes in Ramoth Gilead omnia sua
 consilia contulerunt, quomodo inuoluntarios homicidas con- Sacerdotes
 fugientes ad suam ciuitatē refugij, degluberent atq; depredaren Gilead qua-
 tur, prædicantes eis grauitatem peccati, & homicidij sui, quod li- re latroni-
 cet non sponte perpetrarint, tamen grauius esse, quod posset bus compa-
 remitti, nisi magnam uim pecuniæ pro sacrificijs pro ipsis offe- rentur.

rendis numerassent. Pecuniam ergo illam, qua confu-
gientes ad se, emunxerant, inter se, quasi latrones, distri-
buerunt, atque ita miseros homines non tantum pecu-
nia sua spoliabant, uerum etiam impia persuasione, quasi sa-
cificia per se peccata expiarent (quantum ad animam atti-
net) interficiebant. Aut communicato inter se consilio, clam
& insidiosè Homicidam propinquis interfecti, pro numerata
pecunia, quam postea inter se diuidebant, occidendum tradi-
derunt.

Sanctus Hieronymus scribit Sacerdotes regni Israel, tempo-
re Paschæ, Pentecostes, & festi tabernaculorum, quando pij ex
Regno Israelis Ierosolymam proficiscerentur, iuxta Legem Do-
mini sacrificaturi, constituerint in uia aliquot latrones, qui retra-
herent peregrinantes, ne Ierosolymam uenire, & Dominum a-
dorare possent, Atque eos cogerent redire ad adorandos uitu-
los aureos in Dan & Bethel.

Sacerdotes
Germaniæ
Papistici,
conferun-
tur cum Is-
raeliticis.

Sub Papatu idem apud nos fieri uidemus. In Germania e-
nim quemadmodum olim in Ramath, multæ sunt ciuitates sa-
cerdotales, in quibus magnis sumptibus extructa sunt collegia,
& (ut uocant) Tempa Dominica, in quibus magnus est nume-
rus sacrificulorum, docentium defunctorum animas in purga-
torio igne sustinere maximos cruciatus, & liberari non posse,
nisi pecuniæ quadam maxima summa numerata, Legantur pro
ipsis Missæ, instituantur Anniuersarij dies, & alia quædam sacra
pro liberatione earum peragantur. Hanc deinde pecuniam,
tanquam Latrones (uiatore iam occiso & spoliato) inter se di-
uidunt. Deinde si honestum & pium aliquem ciuem aut Euan-
gelij prædicatorem reperiunt, qui cupiat uel audire uel adnun-
ciare Euangelium, statim magistratui interficiendum produnt.
Postremò, si animaduertunt suos subditos ad loca proficisci, in
quibus sonat uera uox Euangelij, & distribuuntur Sacramen-
ta, constituunt suos, qui proficiscentes ad pia sacra, aut per-
cutiunt, aut in carceres conijciunt. Quid ergo hæc Collegia
& Tempa Dominica sacerdotum aliud esse dices, quam
speluncas Latronum? Et procul dubio si Oseas hoc tempo-
re reuiuisceret, iisdem uerbis eos allocuturus atque dicturus
esset: Societas Sacerdotum uestitu suo solenni ornatorum,
instar turbæ Latronum est, qui ad partes diuidentes, latrocinan-
tur,

Speluncæ
latronum.

tur. Primò enim falsa sua doctrina animas multorum occidunt. Deinde crudelissimis suis consilijs, innocentes magistratui civili interficiendos produunt.

Atque hæc quidem de Sacerdotibus. Nunc de reliquis familijs. In domo Israel (inquit) uidi Monstra, quæ si quis uideat, toto pectore exhorrescat, necesse est. Quæ autem (inquis) sunt illa monstra? Oportet enim ut sint atrocissima & horribilissima, cum ipse Dominus Deus noster abominetur ea? Propheta Ieremias, capite quinto, ostendit, quænam sint. Ita enim ait: Stupor & mirabilia facta sunt in terra, Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia, Quid igitur fiet in nouissimo eius? Quid? (inquis) Hæcine sunt monstra, quæ Deus se in Israel uidisse ait? Tu ne monstrum diceres Pacem & Concordiam illam summam, Prophetarum, Sacerdotum, & uulgi, in causâ Religionis? Respondeo. Coram mundo quidem uidetur concordia ista res esse pulcherrima. At si uerius de ea iudicare uolueris, est indicium summæ impietatis. Nam cum Satan intelligit suum Regnum promoueri, summa ope nititur, ut in Religione uel potius in errore conseruetur Pax, & Concordia. Id quod egregiè (sicut ex Ieremia audiuius) temporibus Prophetarum præstitit. Similiter ante Aduentum Christi, quando scilicet, Scribæ, Pharisæi & populus in Religione pulchrè conueniebant. Sic paulò antè hæc nostra tempora sub Papatu conseruauit inter concionatores, Parochos, Sacrificulos, Monachos, & plebem summam tranquillitatem, & concordiam. Vidit enim hac ipsa suum regnum dilatari & propagari, sed hæc concordia & tranquillitas signum fuit summæ impietatis, atque Regni ipsius Satanæ: alioqui enim hanc concordiam non conseruasset. Nam cum fortior ipso uenit, direpturus spolia eius, ibi tum omnes tragedias, seditiones, discordias & contentiones excitat, quibus conatur fortiori resistere, & regnum suum stabilire.

Sic cum Prophetarum temporibus Deus reuelaret uerbum suum per Prophetas, sentiebat Satan Regnum suum periclitari, ideo excitabat cōtentiones & rixas inter Iudæos, qui tamē antea fuerunt cōcordes & unanimes in sua religione. Sic temporibus

Concordia
in errore,
Satanæ opus.

Satanæ Regnum
dium unicum.

Satan au-
tor concor-
diæ & dis-
cordiæ quo
modo.

Christi & Apostolorum uarias mouit seditiones, nunc per The-
odam, nunc per Iudam Galileū, nunc per alios quosdam seditio-
sos, sperabat. n. se hac ratione inuidiam quidem conciliaturum
Christo, & Apostolis, regnum uerò suum conseruaturum. Hoc
quoq; nostro seculo nullum non mouet lapidem, quò discor-
dia alati. Ante hæc. n. tempora unusquisq; cū altero in Religione
consentiebat. Nunc uerò nulla in re maior discordia est, quàm
in Religione. Neq; dubium est, quin quemadmodum Diabo-
lus autor olim fuerit concordia, Ita nunc sit discordia: concor-
diæ quidem superiorū temporum ideo, quia regnum suum in
pace retinebat. Diffensionis uero nostri temporis, eo q̄ prædica-
tione Euangelij clementia Dei reuelata, sentiat caput & regnum
suum conteri & deuastari. Sed hæc discordia, summa est piorum
coram Deo pax & concordia. Nunc. n. etiamsi mundus nobiscū
non conueniat, nos tamen cum Deo conuenimus, scientes ex
uero eius quid credendū, quid faciendum aut omittendū, &
qua uia ingrediendū sit in Regnum cœlorum. Contrà uerò et si
sacrificuli, propheta, & uulgus pulchrè in sua impietate consen-
tiunt, tamen ipsorum consensus tam horribilis & monstro-
sus est, ut sine maximo horrore ne cogitari quidem possit. V-
bi enim falsa est Religio & doctrina, ibi nullam sperare pote-
ris misericordiam Dei, ubi autem nulla misericordia Dei, ibi
nulla foelicitas, Vbi nulla foelicitas, ibi omnis perditio, &
(quod horrendum auditu prorsus est) homines cateruatim
ad infernum usque detruduntur, & æterna mancipia Sata-
næ fiunt. Porro quòd concordia, pax, & tranquillitas impiæ Re-
ligionis, Monstrum & Horrendum illud sit, quod uiderit Deus
in Ephraim, explicat ipse Oseas. Ita enim inquit: Ibi enim for-
nicatur Ephraim, hoc est, Omnes incolæ regni Israel, Pseudo pro-
pheta, Sacerdotes, Reges, Principes, & uulgus in spiritali forni-
catione, impijs cultibus & Idololatria conueniunt, eamq; unani-
mi sententia defendunt, neq; ulla in re sibi magis placent, quàm
in Idololatria sua. Imò mille iuramentis confirmarent, se his cul-
tibus maximum præstare Deo obsequium. Non enim intelli-
gunt Deum ab ipsorū cultib. abhorrere. Videñ etiam apud nos
Missæ Papistica religiosisissimus atq; Deo acceptissimus cultus es-
se, sed quia illa ipsa Missa, Passio Dñi nostri Iesu Christi unà cū suo
merito obscurat, procul dubio coram Deo est abominandum
&

Impiorum
consensus,
monstro-
sus.

Missæ Papi-
sticæ mon-
strofa.

& execrandum Idololum. Quod si rectè considerarent Christiani, fieri non posset, quin uidentes, aut audientes Missas Papisticas, toto pectore cohorrescerent.

Sequitur, Et polluitur Israel, quasi dicat: existimat Israel se excogitationijs suis cultibus mūdari, & sanctificari. Ecce autem rem admiratione dignam, potius polluitur, contaminatur, & maledicitur. Existimant se coram Deo tanquàm angelos, propter hos cultus lucere, ecce autē Satana ipso nigriores sunt. Est & hoc unum ex horrendis illis quæ Deus in Ephraim uidit. Sperauerat .n. Deus se in Israele uisurū sanctitatem, hoc est, ueram mandatorum suorum obedientiam; fidem, & charitatem. ecce autem nihil aliud uidet in eis præter Diabolum, hoc est, execrabiles, & abominabiles cultus, quos citra uerbum & mandatum Dei instituerant.

Atque hæc de Regno Israel. Quid autem Regnum Iuda? Etiam (inquit) ò Iuda ponis tibi plantarium, cū conuerterem captiuitatem populi mei. hoc est, Vos qui habitatis in Regno Iuda, nihilo ferè meliores estis Israelitis. Ponitis quidem surculum, sed proferet loco dulcis fructus, omnia mala: seminatis iniquitatem, metetis ergo laborem: plantatis iniquitatem, ergo colligetis cuncta mala. Eo præsertim tempore plantatis, cū per prædicationem Prophetarum meorum futuram deuastationem & captiuitatem conor impedire: & quo magis Prophetæ uobis concionantur, eò uos deteriores reddimini. Neque ullis minis aut exhortationibus mouemini. Ah quàm uellem uos eripere ex futura, atque iam iam imminente calamitate, si saltem fidem Prophetis meis uos ad Resipiscenciam exhortantibus adhiberetis. Sed surdis fabula (ut aiunt) narratur. Infortunio delictamini, accidat ergo uobis: plantatis & seminatis, metetis ergo & colligetis copiose, neque est quòd culpam perditionis uestre in me transferatis.

CAPVT VII.

CVM SANARE VELLEM ISRAEL, REVELATA EST INIQUITAS EPHRAIM, ET MALICIA SAMARIÆ: QVIA OPERATI SVNT MENDACIVM, ET FVR INGRESSVS EST SPOLIANS, LATRVN CVLVS FORIS.
ET NON COGITANT IN CORDE SVO QVOD TOTIVS MALICIÆ EORVM RECORDOR. NVNC CIRCVNDABVNT EOS OPERA SVA QVÆ CORAM FACIE MEA SVNT.

MALICIA SVA EXHILARANT REGEM, ET MENDACIIS PRIN-
CIPES.
OMNES ADVLTERANTES, TANQVAM CLIBANVS ACCENSVS A
COQVENTE, QUIEVIT PAVLVLVM CIVITAS A COMESTIO-
NE FERMENTI, DONEC FERMENTARETVR TOTVM.

Hactenus Oseas Propheta, pro more & consuetudi-
ne omnium suorum collegarum, Esaia, Amos, Michæ, & ali-
orum, qui suo tempore uaticinati sunt, populo Israel pecca-
ta & scelera sua indicauit, & per Legem reuelauit, Videlicet,
quòd impijs suis cultib. defecerint à Deo, Quòd regnum ipso-
rum maledictis, furtis, adulterijs, homicidijs & omni genere sce-
lerum, sit refertum, Et quòd omnino nihil sani, neq; in Ecclesia
sticis, neq; in ciuilibus hominibus inueniatur. Fecit autem hoc
animo, ut ipsos per agnitionem peccatorum ad resipiscentiam
inuitaret, atq; modum & uiam ostenderet, qua ab imminenti-
bus calamitatibus tuti esse possent. Hoc enim Dei & Propheta-
rum suorum in reprehendendis sceleribus & ostendendis pec-
catis, nec non in proponendis minis consilium est, non quòd
calumnia, inuidia, & perditione hominum delectet, sed quòd
benè eis consultum esse cupiat, & eos à futura calamitate libe-
rare studeat. Sic enim Dominus apud Ezechielem ait. Viuo ego,
nolo mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Ec-
ce autem, quàm sinistrè impietas omnia accipiat. Ex admonitio-
nibus enim, quibus Prophetæ salutem corporis & animæ eorū
quarebant, subinde in peius proficiebant. Et quanto magis eis
peccata ostendebantur, tanto magis peccata peccatis cumu-
labant. De hac ergo impietate conqueritur Deus in principio
huius capituli, dicēs: Quid dicam de meis Israelitis? Hactenus per
Oseæ & aliorum meorum Prophetarum conciones, conatus
fui Israelem populum meum liberare, & ex imminentibus cala-
mitatibus eripere. Insuper quoq; sanare eos uolui à cladibus,
quas ab hostib. in suo regno acceperant. Illisq; medijs usus sum,
Nempe quòd per Prophetarum meorum conciones ipsis pec-
cata sua ostenderim, atq; pœnam suis sceleribus debitam pro-
posuerim hoc consilio, quòd sperauerim eos ex agnitione suo-
rum peccatorum, & denunciatione pœnæ perterritos, ad me
redituros, & opem meam pro liberatione imploratuos. Sed
ecce rem admiratione dignissimam. Cùm ego de sanandis,
&

Consilium
Dei in re-
prehensio-
ne.

Impius
semper in
deterius
proficit.

& liberandis habitatoribus regni Israel (quod nunc propter Patriarchæ Jacob Prophetiam regnum Ephraim, nunc Samariæ, ex historia quæ extat iij. Reg. xvj. uocatur) cogito, ipsi quasi furij agitati, omnes meas admonitiones respuunt, & tum demum summo studio incipiunt sua scelera cumulare & licentius peccare. Quis unquam in animum inducere suum potuisset, tantos nebulones habitare in regno Israel? tunc enim impietas, & peccata magis augetebant, cum ego per Prophetas conabar eos ad meliorem frugem conuertere. Alius dicebat, se nunc primum uitulos aureos in Dan, & Bethel adoraturum; & sub omni frondosa arbore sacrificaturum, quia audiret nouos Prophetas hos cultus malè habere. Alius incipiebat præfractè in peccatis suis pergere, & quæuis flagitia designare, & tanto furiosius peccabat, cum audiret Prophetas ex lege, & uerbo Dei peccata prohibere. Alius persequere Prophetas, alius prorsus interficiebat: erant, qui sacrificia quidem impia mittebant, & erant boni (ut dici solet) Prophetici, sed interea omni genere peccatorum sese contaminabant, quemadmodum testatur iij. Reg. liber cap. xvij. dicens: Dominus testificatus est in Israel & Iuda per manum omnium Prophetarum, & uidentium, dicens, Reuertimini à uijs uestris pessimis, & custodite præcepta mea, & ceremonias, iuxta omnem legem quam præcepi Patribus uestris, & sicut misi ad uos in manu seruorum meorum Prophetarum, Qui non audiuerunt, sed indurauerunt ceruicem suam, iuxta ceruicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo, Et abiecerunt legitima eius, & pactum, quod pepigit cum patribus eorum &c. Et ij. Para. xxxvj. Mittebat Dominus Patrum suorum ad illos, per manum nunciorum suorum, de nocte consurgens, & quotidie commonens, eò quòd parceret populo, & habitaculo suo. At illi subsannabant nuncios Dei, & paruipendebant sermones eius, illudebantque Prophetis &c. Itaque quò clarius uerbum Domini à Prophetis prædicabatur, eò peiores illi efficiebantur. Natura enim impiorum est, sicut canis funiculo alligati aut in aqua periclitantis. Mordet. n. eum qui liberare ipsum ex periculo cupit. Sic & impij, quò plus conaris eos iuuare, eò magis resistunt, & impietatem suam produnt. Sic factum est tempore Nohe ante diluuium. Manifestior. n. uerbi Dei prædicatio faciebat multos pessimos nebulones. Idcirco Dñs dicebat, Non permanebit spiritus meus in

Natura &
ingenium
impiorum

homine, quia caro est. Idem ingenium fuit Zodomitarū. Nam ex admonitionibus & concionibus pij Loth, quibus conabatur eos à futura calamitate liberare, deteriores reddebantur, dicentes, Te ipsum magis quàm hos affligemus. Volebat olim Helias totam familiam Achab à perditione conseruare, ostendendo ei peccata sua, & impietatem, qua instituerat cultum & sacrificulos Baal. Sed Achab unà cum uxore sua Isabella tanquam furij agitati, persequerantur Eliam, ut cogeretur sibi fuga consilium. Et quid opus est aliunde exempla petere, cum etiam nostro tempore idem ingenium sit hominum impiorum. Cupit enim Deus nos quoque à futura calamitate liberare eo ipso, quòd uerbo suo manifestato, nobis peccata & Idololatriam nostram hoc consilio reuelat, ut uitam nostram emendemus & dignos fructus poenitentiae feramus, adeoq; futuram iram effugiamus. Sed quid sit? An non hic quoq; reuelatur iniquitas & malitia, non in Papistis tantum, uerum etiam in nobis ipsis, qui Euangelici audire cupimus? Papistae audientes uerbo Dei Missas suas reprobari, non abijciunt, sed nunc seriò incipiunt defendere & sectari, dicentes se celebraturos, & audituros suas Missas, rumpan tur ut ilia nouis praedicatoribus. Alij praefractè in suis sceleribus pergunt & peccata peccatis cumulant. Euangelici autem ualedixerunt quidem Missae Papisticae, interea autem subinde deteriores fiunt, neq; à sceleribus abhorrent.

Malicia humana quanta.

Pœna impietatis.

Quid ergo fiet? an impunè poterimus ferre nostram impietatem & malitiam? Minimè gentiū, sed obruemur poena illa quam hoc loco Dominus per Oseam Israelitis minatur dicens: Ideo uenit fur, & latrunculus foris spoliat, hoc est, quod in lege dicitur, Maledictus eris ingrediens, & egrediens. Et iterum: Foris uastabit eos gladius, intus pauor, hoc est, domi & foris uariè uexabuntur, & deripientur, nusquam tuti erunt à Satana, sed singulis momentis necesse habebunt sibi ab incurfione eius metuere. Ecce hoc est supplicium eorū, qui ex concione uerbi Dei non emendant uitam suam, sed subinde peiores fiunt, sicut exempla paulò antè citata manifestè ostendunt.

Impiorum hominum cogitationes.

Accedit alia impietas longè omnium maxima. Non cogitant in corde suo, neq; confitentur, quòd uel iniquè agant, uel quòd Deus malitiae eorum recordetur, peccata sua aut nulla, aut leuissima esse ducunt, dicentes, Quid puniret ne nos Deus propter

pter tantillum peccatum? Etiam si sub omni frondosa arbore aut
reis uitulis sacrificemus, Adulterium committamus, fornice-
mur, proximum decipiamus, Mentiamur, blasphememus, & alia
quædam leuia peccata committamus, quid tum postea, etiam si
talia perpetremus? Nunquid Dominus propter hæc tam seue-
riter in nos animaduertet? Non faciet, Neq; tam seuerus est,
quàm de ipso sacrificuli prædicant. Sed hæc sunt impiorum ho-
minum cogitationes, quorum natura, & ingenium est, ut nun-
quam inducant in animum neq; credant quàm graua sint pec-
cata, Sed existimant infernum non esse tam ardentem, quàm
prædicatur, Nec Satanam tam terribilem, quàm pingitur, sicut
Mose Deut. xxix. de impijs scribit. Benedicunt sibi in corde suo,
dicentes, pax erit nobis, & ambulabimus in prauitate cordis no-
stri, &c.

Sed etsi impijs peccata contra Deum uidentur aut nulla,
aut leuissima, tamen nos sciamus coram Deo esse grauisima &
atrocissima, id quod ex sequentibus facile cognosci potest. Ita
enim dicit: Nunc circumdabunt eos opera, quæ coram facie
mea sunt. hoc est, blandiuntur sibi in peccatis suis, existimantes
ea nulla aut leuia esse, neque me eorum recordaturum, sed cor-
am iudicio meo grauisima sunt. Neq; est quòd imaginentur si-
bi impunitatem. Video enim omnia scelera, ideoq; seuerissimè
ea puniam. Ponant saltem sibi ob oculos peccatum Adæ, &
cognoscent quàm seueriter puniam peccata quæ ipsi leuia &
nullo supplicio digna esse existimant. An non Adæ peccatum le-
uissimum uisum fuit coram oculis hominum? Quis enim pu-
taret multum referre, si quis pomo uescat? Sed hoc peccatum
Adæ Deus tanta seueritate puniuit, ut propter illud, non solum
ipsum Adam, uerum etiam omnem posteritatem eius coniece-
rit in corporis & animæ interitum. O terq; quaterq; beatum, qui
ex hoc interitu per Christum Iesum filium Dei eluctatur. Exem-
plo igitur Adæ edoctus, quilibet sibi à peccatis caueat: quamuis
enim leuissimum appareat coram humano iudicio, tamen nisi
condonetur per Christum filium Dei, æterno cruciatu punietur.

Sed quid præterea Israelitæ peccarunt? Respondet Oseas di-
cens, Latificant Regem, & mendacijs Principes, &c. Procul du-
bio loquitur Propheta de obedientia, & adulatione subdito-
rum, qua Regum & Principum suorum impietatem & Idolola-

Peccatorum
grauitas cor-
am Deo.

Vulgi natu-
ra & inge-
nium.

triam approbarunt, & qua Reges maximè sunt delectati, gratulan-
tes sibi ipsi tam obediens subditos. Videmus autem natu-
ram & ingenium vulgi in Israelitis. In his enim, quibus minimè li-
cet, obedientiam præstant summam, in alijs uerò quæ sunt licita,
& uerbo Domini madata, sunt rebelles. Res fit exemplis illustri-
or. Post mortem Salomonis, iure successionis Regnum debeba-
tur Rehabeamo filio Salomonis, sed cum petitioni subditorum
satisfacere non uellet, & iugum, quod parens eius imposuerat, im-
minuere recusaret, defecerunt ab eo, eligentes sibi peculiarem
Regem Ierobeamum. Hic cum iam in regno suo confirmatus
fuisset, instituit duos aureos uitulos in Dan, & Bethel, & uniuersis
populo suo mandabat, ut posthac non proficerentur am-
plius ad Ierusalem, sed manerent in regno, & peragerent sua sa-
cra in Dan & Bethel, coram uitulis aureis. Et ecce populus ob-
temperans suo regi, fecit quod iussus fuerat. Præpostera propterea
hæc fuit obedientia. In civilibus enim oneribus, debuissent obe-
dire filio Salomonis, sed sunt inobediens. In Idololatria autem
& impietate regis sui sectanda sunt promptissimi. Et quod plus
est, obediunt non tantum huic regi, sed etiam omnibus sui Re-
gni successoribus, summum in colendis uitulis præstiterunt ob-
sequium, & uerè (quod hoc loco dicit) suos reges exhilararunt. Vi-
des igitur vulgi ingenium esse, ut obediat, ubi non licet, contra
uerò, aduersetur, quando est obediendum.

Exemplū
Obedien-
tiæ, præpo-
stere.

Achab.

Sumamus aliud exemplū. Cū Achab rex Israelis cultum Baal,
& collegium sacrificulorum Baaliticorum institueret, uniuersus
populus Regi adlabatur, & nouo huic cultui in gratiam regis
sui adhærebat, adeo, ut Elias coram Deo conquereret, se solum
relictum esse (reseruauerat autem Deus sibi septem millia uiro-
rum, qui genua sua coram Baal non curauerant) in uniuerso re-
gno, qui Baalitico cultui nomen non dedisset suum. Ad hæc in
omnium ferè Regum historijs additur, quod ambulauerint in
uijs Ierobeami, qui peccare fecerat Israel. Qualis ergo Rex, talis
etiam erat populus, qui relicto uero Dei cultu, sequebatur in
gratiam Regum suorum impios cultus citra uerbum Dei insti-
tutos.

Sed quid opus est aliunde petere exempla, cum uideamus
idem ingenium esse vulgi, nostri temporis. Obediunt enim
Magistratui suo in his quæ Religionis sunt, & sequuntur illam
Religionem,

Religionem, quam uident suos Magistratus sequi. Cum Magistratu Euangelico sunt Euangelici, cum Papistico uerò, sunt & ipsi Papistici. In soluendis autem & conferendis exactiōibus adeo dissentiunt à Magistratu suo, ut interdum res etiam ad seditionem spectare uideatur.

Deinde (inquit) omnes sunt Adulteri. Quid hoc? Nullus ne in Israel castus, aut honestus maritus temporibus Osee reperiebatur? Respondeo. Initiò possunt hæc uerba intelligi de Idololatria, cui uniuersus populus adhærebat, sicut supra dictum est. Deinde uerò (meo quidem iudicio) de carnali uel externo adulterio sunt accipienda. Nam Propheta de uniuersis in Colis Regni quasi de adulteris loquitur, non quòd omnes, sed quòd maxima pars fuerint Adulteri: Etsi enim multi honesti mariti fuerunt inter Israelitas, tamen quia maxima pars adulterio contaminati erant, omnes dicuntur adulteri. Sed quis (inquis) Osee indicauit Israelitas fuisse adulteros: tamen non uidit ipsos committere adulterium? Quid tum postea? Non uidit quidem ipse, tamen ex ipsis audiuit. Existimo enim eandem in conuiujs, aut publicis congressibus fuisse morum peruersitatem, temporibus Osee prophete, quæ & hoc nostro tempore in usu esse solet. Nam quoties etiam honesti & maximæ autoritatis uiri, uel in conuiujs uel in alijs locis conueniunt, nihil ferè aliud loquuntur, quàm de adulterijs, & fornicationibus. Hæc sunt sermonum eorum præcipua argumenta, habenturque inter eos dictæ de adulterijs, quasi ludi quidam, quibus tempus fallere solent. Alius dicit, Adulterium esse peccatum leue. Alius ait, Non esse fortem uirum, qui nō ausit adulterium committere, & qui hoc non ausit, uix quoque audeat comitem in itinere defendere. Tertius aliud dicit affert dicens: si quispiam discesserit ab uxore sua, & traiecerit flumen, tunc licere ei adulterium committere. Quartus dicit, Adulterium esse leue quidem & ueniale peccatū, donec quis uxorem suam illud celare possit. At quando uxor resciscat, statim fieri peccatum mortale. Et quis omnia illa uana & scurrilia dicta enumerare posset? Talia fortassis Osee etiam ex suis ciuibus audiuit. Ideoque omnes uocat Adulteros. Nisi enim cor adulterio plenum esset, certè ex ore non redundaret. Et si uiri tanto odio adulteria prosequerentur, quanto latrocinia & furta abominantur, sine dubio non tanto

An omnes
Israelitæ fuerint adulteri, quomodo intelligendum.

Impuri sermones in publicis congressibus.

cum risu, & delectatione eius mentionem facerent, siquidem latrociniorum, & furtorum mentio non admodum iucunda esse solet, apud illos, qui honestatis & iusticiæ sunt amantes. Adhæc, Paulus ait: Corruptunt bonos mores colloquia praua. Necessariò ergo ridiculi isti de Adulterijs sermones, aut ipsum Adulterium factò admissum produnt, aut ad minimum prauas cupiditates & concupiscentiam cordis manifestant.

Adulteri si-
miles cliba-
no succen-
so.

Et ne quis existimaret, Israelitarum adulteria tantum leuiter aut exhumana quadam fragilitate & uerbo tenus tantum commissa esse, declarat Oseas similitudine quadam, quàm ardentè spiritu adulterij incensi fuerint, dicens, Quantum ad adulteria & fornicationes attinet, Israelitæ mei similes sunt clibano succenso per pistorem, qui quiescit ab excitanda, & subigenda farina. Tunc enim clibanus feruentissimus est & flammis undiq; repletus, ut qui introspicit existimet se in ipsum infernum ardentem intueri. Ita Israelitæ quoque non amplius tepidi aut frigidi, sed prorsus accensi & inflammati sunt spiritu atque igni adulterij, ita ut corde atque omnibus cogitationibus suis prorsus dederint se impudiciæ, ut quasi flammæ ex ore erumpant. Nisi enim corda eorum adulterijs accensa essent, non tam ardentè de eis loquerentur. Et nisi ossa unà cum medulla adulterio succensa essent, absque dubio flammæ per os eorum non erumperent. Sed quid? Num Dominus hæc Adulteria non uisitare? Ludunt quidem homines impudicia & Adulterijs, Deus autem non ludet, sed seuerissima pœna eos obruet, de qua infra loquitur. Væ eis (inquit) quia recesserunt à me, uastitas accidet ipsis, quoniam præuicati sunt in me. Et quæ hoc loco nudis uerbis minatur, postea re ipsa acciderunt eis. Nam primo quidem deuastatione Regni sui, Deinde uerò æterna damnatione animæ sunt obruti. Vides seueritatem iræ diuinæ contra Adulterium, quam si quis seriò, & sedulò perpenderet, sine dubio presentissimum remedium contra carnis pruriginem haberent.

DIE REGIS NOSTRI COEPERVNT PRINCIPES FVRE-
RE A VINO, EXTENDIT MANVM SVAM CVM ILLV-
SORIBVS.

QVIA APPLICAVERVNT QVASI CLIBANVM COR SVVM
CVM INSIDIARETVR EIS, TOTA NOCTE DORMIUIT

COQUENS EOS, MANE IPSE SVCCENSVS QVASI IGNIS
FLAMMÆ.

OMNES CALEFACTI SVNT SICVT CLIBANVS, ET DEVO
RAVERVNT IVDICES SVOS. OMNES REGES EORVM CE
CIDERVNT, NON EST QVI CLAMET IN EIS AD ME.
EPHRAIM IN POPVLIS IPSE COMMISCEBITVR. EPHRA-
IM FACTVS EST SVBCINERICIVS PANIS, QVI NON RE-
VERSATVR.

Antea arguit Oseas frequentiam Adulteriorum, Nunc re-
prehendit uinolētiam & Ebrietatem: solent. n. hęc duo uitia ple-
runq; sese mutuo comitari, & (sicut dicit Poeta), Sine Cerere &
Baccho friget Venus. Loquitur aut̄ Propheta de conuiuijs Ma-
gnatum quæ instituunt, quando celebrant uel natalem suum di-
em, uel diem electionis suæ, uel alio qui grande & lautum conui-
uium parant, ut de Assuero testatur libellus Ester, de Baltazare
Daniel, & sicut de Hero de in Euangelio legitur: Ait etgo Oseas,
die regis nostri, hoc est, quando Rex lautum conuiuiū apparat
suis Principib. tunc optimates incipiunt inter se poculis certare,
donec uino prorsus obruantur, & insanire quodammodo præ
ebrietate incipiant. Adhæc Rex ipse extendit manum suam cum
illusoribus. hoc est, amplectitur uel ebrios, uel semifatuos iam
uino factos, uel circulatores, quibus cum ludit, aut tempus te-
rit, Pios autem & prudentes uiros negligit, ac ne audit quidem.
Vide mihi quæso, an non mores nostri seculi pulchrè adumbra-
ti sint hoc loco: Nam & nostri Principes ingurgitant se in conui-
uijs suis uino, uo cantque ad se non uiros sapientia præditos, sed
moriones, & bibulos, qui (quod alij summo studio non possunt)
omnia quæ uolunt facillimè ab eis impetrant. Cæterum uulgus
Principes imitatur egregiè. Cum enim conuiuia celebrantur,
tunc clamor oritur uelut insanorum, & nemo nisi bene potus
è conuiuio discedit. Atq; hoc adeo commune est, ut in Magna-
tibus dicatur lætitia quædam ciuilib. In solis autem rusticis co-
gnominatur quidem uinolentia & ebrietas, à nemine uerò pro
peccato reputatur. Sed utcunq; mundus de Ebrietate iudicet,
certè tale peccatum est, propter quod Deus totam gentem est
perditurus, Id quod dictis, & exemplis sacræ scripturæ com-
probatur. Esaïæ quinto: Væ uobis qui mane surgitis ad biben-
dum uinum, & potandum usque ad uesperam, ut uino æstu-
etis. Cithara & Lyra, & Tympanum, & Tibia & uinum in conui-
uijs uestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum

Ebrietatis
reprehensio.

Conuiuia
quomodo
peragantur.

Ebrietatis
supplicia.

eius consideratis. Propterea captiuus ductus est populus meus, &c. Amos sexto, Vx qui canitis ad uocem Psalterij sicut Dauid, putauerunt se habere uasa cantici, Bibentes uinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph. Quapropter nunc migrabunt in capite migrantium, & auferetur factio lasciuiuentium. Ezechiel capite decimo sexto numerat Crapulam, & Ebrietatem inter peccata, propter quæ Deus igni & sulphure deleuit Zodomam. Daniel capite quinto scribit, quòd Baltazar Rex Babylonis propter Ebrietatem suam non solum Regnum, sed etiam uitam suam amisit. Atque hic noster Propheta paulò post dicit, Ephraim propter hoc peccatum dispergendum inter populos. Vides qui sint proditores & uastatores Regionum, Non certè hi sunt, qui sui gratia interdum produit patriam, sed hi potissimum, qui noctes atque dies sese ingurgitant uino, atque inter se poculis certant. Deberent quidem defendere Gentem & Regionem, at illi ipsi sunt qui coram iudicio diuino, sua Ebrietate, patriam & produit & uendunt.

Insiatates
& imponē
tes proxi-
mo quacu-
que re.

Nondum finis peccatorum & iniquitatum Regni Israelis. Sequitur enim aliud scelus. Applicauerunt (inquit) quasi clibanum cor suum, cum insidiarentur. hoc est, quemadmodum Micheas cap. vij. ait: Omnes in sanguine insidiantur, Vir fratrem suum ad mortem uenatur. Vnusquisq; alterius insidiatur bonis, & totus in hoc est, ut proximum decipere possit. Idq; non faciunt tepidè, sed totis uiribus, & re bene deliberata. Atq; in hoc ipsum studium (inquit) incensum est cor eorum, tanquã clibanus, adeoq; toti ardent tanquã pistora, qui per totam noctem dormiuit, & cum mane surrexerit, nec dum calefactam fornacem inuenierit, succenditur & ipse præ indignatione, quasi ignis flamma, ita & illi feruentissimè alter alteri insidiatur, omnes suas cogitationes & consilia eò dirigunt, ut alter alteri, uel uitam, uel opes, uel famam nominis insidiosè rapere, & auferre possit. Hoc autem facinus tantū abest ut pro peccato reputetur, ut potius pro summa sapientia & prudentia obseruetur. Cum uidemus aliquem qui fallaciter & callidè alijs imponere scit, non reprehendimus, sed laudamus tanquã uirum prudentem, qui sciat colligere opes, & familiam alere. Eoq; res redijt, ut summa scelera uirtutum nomina sint sortita.

Sed putas tu Deum quoq; approbare imposturas & insidias illas? Nullo modo, Nam propter insidias & imposturas Deus puniet gentem, & regionem. Sic enim in lege dicitur, Non furis, Non occidas, & non concupiscas rem proximi tui. Et postea: Si uerba ista nō audieris, tradet te Dominus corruentem ante hostes tuos, & uenient super te omnes maledictiones istæ, donec conteraris. Dispergam te inter gentes, eritq; terra tua deserta &c.

Imposturas
rui, & in
diarū sup
plicia.

Breuiter omnes, tam Principes quàm subditi, sicut clibanus calefacti sunt ad omnium scelerum genera. Corda eorum adeo exarserunt malitia, ut flammæ erumpant in os, in oculos, manus, & omnia membra eorum. Et quemadmodū ignis ligna consumit, ita malitia & iniquitas omnes illorū Iudices consumpsit, ita ut uix unus aut alter inter eos reperiat iustus Iudex, qui iuxta leges iudicet: aut enim ipsi occiderunt subditos, aut coegerunt in malitiam & iniquitatem cōsentire. Omnes quoq; reges eorum corruerunt in impietatem, nec inuentus est ullus, qui Dominū inuocasset. A primo Rege Ierobeam, usq; ad ultimum Oseam filium Ela, omnes fuerunt impij, ita ut crederes Regium solium Regni Israelis fuisse nidum scorpionum, neque potuisse ferre pios Reges. Discant ex hoc loco Reges & Principes uerum timorem Dei & Resipiscantiam. Nam si solium Regium Israelitarum, quod diuina ordinatione constitutum erat, non potuit ferre bonos & pios Reges, metuendum sanè ipsis est, ne & sua solia à Maiestate diuina maledicantur, ut bonos Principes non ferant amplius.

Iudex
stus, rara
auis.

Timoris
Dei ex
pluri.

Sed quid est quod Propheta ait, Nullus eorum est qui me inuocaret? An non summa diligentia peregerunt sua sacra in Dan & Bethel? Et sine dubio in peragendis illis Dominum Deum inuocarunt? Respondeo. Orarunt, & quidem (quod crediderim) multis uerbis, Sed non inuocauerunt Nomen Dei. Nomen enim Domini inuocare non est multa uerba facere in oratione, sed est Verbo Dei obsequi, & in obsequio ex uera fide auxilium Dei implorare. Qui enim non obsequitur Deo, cum uult auxilium eius implorare, is potius ridet, quàm inuocat Deum. Et quid aliud facit, quàm si Latro inuocaret Deum, ut prosperaret latrocinium suum, & fur furtum suum? Quis hanc orationem non impiam iudicaret? Deus non præstat auxilium suum illis rebus, quæ contra mandatum suum

Nomé Do-
mini inuocare uerè,
quid sit.

Oratio
quorū fru-
stranea.

agenda suscipiuntur. Nihil igitur prodest oratio eorū, qui iniquè agunt. Ita qui in Idololatria, in impijs cultibus, aut scelerata uita sua Deum inuocat, non uerè orat, sed potius Deum summa contumelia afficit. Facit enim oratione sua Deum talem, qui delectetur contra Legem suam iniquitate, & impietate.

Israelita,
panis sub-
cinericius.

Quid autem pro talibus facinoribus Israelitarum, retribuet uel tandem Deus? Sequitur. Ephraim (quo nomine, Regnum Israelis uocatur) in populis commiscebitur. Sic enim scribitur Leuitici uigesimo sexto. Si non audieris uocem meam, disperdam uos in Gentes. Et Deuter. uigesimo octauo. Disperget te Dominus in omnes populos à summitate terræ, usque ad terminos eius, &c. Et testatur quartus Regum, capite decimo septimo, has minas re ipsa impletas esse per Salmanassarum Regem Assyriorum. Is enim capta Samaria, Israelitas dispersit in uarias nationes. Tunc Ephraim fiet sicut subcinericius panis, qui non reuersatur, hoc est, panis insipidus, uel populus ab omnibus Gentibus contemptus. Quemadmodum enim pastillus non reuersatus & insipidus, contemnitur & perit, ita Israel erit inter Gentes contemptus, neque reuertetur unquam in Terram, & Regnum suum, sed peribit inter Gentes. Etsi enim tribus Iuda sub Cyro Rege Persarum redijt ad suum Regnum, tamen Israel prorsus abiectus fuit, neque ullam spem reditus sui unquam habuit.

COMEDENT ALIENI ROBVR EIVS, ET IPSE NESCIT. PRÆTEREA CANICIES SPARSIT SESE IN EO, ET NON NOVIT.

ET HVMILIABITVR SVPERBIA ISRAEL IN FACIE EIVS, NEC REVERSI SVNT AD DOMINVM DEVM SVVM, ET NON QUÆSIVERVNT EVM IN OMNIBVS HIS.

ET FACTVS EST EPHRAIM QVASI COLUMBA STOLIDA ABSQVE CORDE. ÆGYPTVM INVOCABANT, AD ASSYRIOS ABIERVNT.

ET CVM PROFECTI FVERINT, EXPANDAM SVPER EOS RETE MEVM. QVASI VOLVCREM COELI DETRAHAM EOS. CASTIGABO EOS IXTA ID QVOD AVDIVIT COETVS EORVM.

Inspicientis
& insanis
exemplum

Vulgò dicitur, Inspicientem esse eum, qui ex alienis malis non fiat cautior, quanto ergo magis insanit is, qui ex suo ipsius incommodo non redditur prudentior. De hac ergo inspicientia

tia & infania conqueritur hoc loco per Prophetam Deus, Alieni (inquiens) deuorant Robur Israelis, & ipse non intelligit, hoc est, & si Syri & Assyrij nunc hanc, nunc aliam Regionem & ciuitatem Regni Israel inuadunt, atque occupant, ita ut iam pendere, & nutare uideatur uniuersum Regnum, tamen nihil his calamitatibus mouentur, neq; uident propediem prorsus actū iri de suo regno.

Sparfit præterea se canicies in eis, ipsi uerò non nouerunt. hoc est, decrescunt paulatim omnia, & in peius ruunt, quæcunque sunt in Regno Israelis. Et quemadmodum canicies manifestum signum senectutis & appropinquantis mortis est, ita canes Canicies hominum & regnorū scit etiam Regnum Israel, eo ipso, quòd omnes ordinationes, leges, & actiones subinde magis atque magis intercidunt, ex quo manifestè cognosci potest, non longè abesse interitum & deustationem. Sed his omnibus nihil moti, nescio quam securitatem sibi pollicentur, neque scire aut intelligere sua mala impendentia uolunt.

Insuper etiam Prophetas meos, de futura calamitate prædicantes contemnunt. Adhæc, etsi uident suam arrogantiam & superbiam re ipsa & coram facie sua humiliari, & ab exteris Regibus contemni, Quia nunc quidem Phul, mox Tiglath Philæzer Reges Assyriorum potentiam eius contriuerunt, & maximam Regni partem occupauerunt, quemadmodum testatur iiii. Regum decimo quinto. Et primo Paralip. sexto, Tamen non conuertunt se ad Dominum, neq; auxilium eius contra hostes implorant.

Quod hoc loco de Regno Israelis dicitur, id existimet Romanum Imperium etiam sibi dictum esse. An non deuorant alieni Robur eius, ita, ut quotidie arctius fiat? Constantino Rom. Imperiū collatum cum regno Israel. politanum Regnum, Rhodum, Vngariam, Turca deuorauit & uastauit, coram facie nostra, & nihil ferè præter nomen Imperij Romani extare uidemus, sed quotusquisq; est, qui consideret atq; intelligat, unde oriatur ille interitus, aut quò tandem fit euasurus. Nemo est ferè qui resipiscat, & uerbo Dei obediat. Imò uerbum Dei contemnitur, & persecutionibus omnis generis subiacet, fieri igitur non potest, ut Romani Imperij status sit diurnus.

Quod de uniuerso Imp. Ro. diximus, hoc etiam transferendū Resipiscencia omnib. necessaria. erit ad unumquemq; priuatū hoīem: Etsi, n. subinde decrescunt

uires, canescunt capilli, facies fit rugosa, & subinde propius accedit senectus, tamen nullus ferè est, qui seriò de resipiscencia & emendanda uita sua cogitet, & mandatis Dei obsequatur. Quicumque ergo pœnitentiam suam differt, & non in tempore se ad Dominum conuertit, uideat ne subito & ex improviso inteat, quemadmodum uidemus Regnum Israelis perijsse. Voluit enim Deus deuastatione huius regni singulis etiam hominibus exemplum proponere, ex quo discerent, quid sibi propter uerbi, & paternarum admonitionum contemptum sit expectandum. Quod igitur non facit tota Gens, unusquisque per se faciat, & admonitus calamitatibus, uel publicis, uel priuatis, resipiscat, ut saltem animam suam à perpetua damnatione liberet.

Audiuimus quòd Israelitæ in suis calamitatibus se non ad Dominum conuerterint. Ad quem igitur confugerunt, & cuius tandem auxilium implorarunt? Sequitur. FACTVS est Israel, quasi columba stolidus, absque corde, quæ escis decepta, non intelligit pedicam uel rete sub escis latere, sed escas auide deuorans capitur. Sic Israel stolidus, & insanus est, semel & iterum ab Aegypto Rege adiutus (Nam frequenter Israelitas apud Aegyptios auxilia quæsiuissse in suis calamitatibus, indicat Esaias capite trigesimo & trigesimo primo) Et semel per Regem Assyriorum Phul liberatus est. Is enim confirmauit Regnum ipsi Menahem Regi Israelis. Existimant ergo se horum Regum auxilio perpetuò fore ab omnibus suis hostibus tutos. Ideo in sua necessitate non confugiunt ad Dominum, nec implorant opem ipsius, cum tamen promiserit, se uelle eos ex omnibus tribulationibus suis eripere & liberare, Sed inuocant Regem Aegypti, & abeunt ad Assyrios, ut auxilia accipiant ab ipsis, qui homines sunt, & se ipsos saluare nequeunt.

Quid autem ad hæc Dominus? Cùm profecti (inquit) fuerint ad uocanda auxilia Aegyptiorum & Assyriorum, expandam super eos rete meum, & quasi uolucrum cœli detraham eos. hoc est, quando auidissimè escas alienorum auxiliorum quæsiuerint, & deuorare uoluerint, capientur & perdentur. Et erudiam eos, eo modo, quem in cœtibus & congregationibus suis ex Lege audiuerunt, aut qui eis ex Verbo DOMINI adnunciatus est. Id quod intelligitur

*Aegyptij
auxiliato-
res sunt de
uastatores.*

gitur uel generaliter de omnibus maledictionibus, quæ extant
Leuit. xxvj. Et Deut. xxvij. uel, cum hic fiat mentio auxilij Aegy-
ptiorum specialiter de ea maledictione intelligi potest, quæ de
Aegypto Deut. uigesimo octauo extat. Reducet (inquit Moses)
te Dominus classib. in Aegyptum per uiam, de qua dixi tibi, ut
eam amplius non uideres, Ibi uendêris inimicis tuis in seruos &
ancillas, & non erit, qui emat. Et sic fiet, ut qui tibi auxilium ini-
tio præbuerunt, hi postea erunt tui raptores, & deuastatores.
Quemadmodum columbæ escæ quæ delitiæ fuerant, fiunt eius
captiuitas. Ex hoc loco discendum nobis est, iniquum factum
contra Legem Dei, quod existimamus nobis maximam utilita-
tem allaturum, pessimè cedere. Exempli gratia, si quis nugis atq;
imposturis opes congregat, & sperat has sibi usui futuras, falli-
tur: certum enim est, illas (quia contra legem Dei sunt acquisi-
tæ) pessimè cessuras, quemadmodum uidemus auxilia Aegypti-
orum, & Assyriorum, initio quidem aliquo modo profuisse,
Postremò uerò exitium summum Israelitis attulisse, eò quòd
contra uerbum Domini auxilia hæc conduxerant.

Iniqua fa-
cta, maledi-
cta.

VÆ EIS QUONIAM RECESSERVNT A ME, VASTABVNTVR,
QVIA PRÆVARICATI SVNT IN ME. ET EGO REDEMI E-
OS, ET IPSI LOCVTI SVNT CONTRA ME MENDACIVM.
ET NON CLAMAVERVNT AD ME IN CORDE SVO, QUAN-
DO INGEMVERVNT IN CVBILIBVS SVIS, PROPTER TRITI-
CVM ET MVSTVM RVMIMABANT, ET TAMEN RECESSE-
RVNT A ME.
ET EGO ERVDIVI EOS ET CONFORTAVI BRACHIA EO-
RVM, ET COGITAVERVNT IN ME MALICIAM.
REVERSI SVNT VT ESSENT ABSQVE IVGO, FACTI SVNT
QVASI ARCYS DOLOSVS. CADENT IN GLADIO PRINCIPES EO-
RVM. A FVRORE LINGVÆ SVÆ. ISTA SVBSANNATIO EORVM
IN TERRA ÆGYPTI.

Quomodo receditur à Domino? Primò cum non creditur
promissionibus eius, quas de liberatione ex omnib. malis pro-
posuit, sed quæruntur auxilia aliena contra uerbum & manda-
tum eius. Deinde, quando re ipsa contra mandatum Dei agitur.
Verbum enim Dei complectitur hæc duo, Promissionem &
Mandatum. Quicumque ergo ex incredulitate & inobedien-
tia ab his recedit, ab ipso Deo recessisse dicitur. Habuerunt au-
tem Israelitæ in suscipiendis bellis contra hostes amplissimam
promissionem Dei, quæ extat Deuteron. xx. Si exieris ad bellum

Recedatur
à Domino,
quomodo

contra hostes tuos, & uideris equitatus & currus & maiorem quam tu habeas, aduersarij exercitus multitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Aegypti. Dominus Deus uester in medio uestri est, & pro uobis contra Aduersarios dimicabit, ut eruat uos de periculo, &c. Sed hanc promissionem contemnentes implorabant auxilia Aegyptiorum & Afsyriorum, dicentes, diu expectandum nobis esset donec affata columba (ut dicitur) in os inuolaret, conscribamus exercitum militum, & uocemus ad nos Aegyptios, horū enim auxilio uincemus hostes nostros. Faciebant, quem admodum Rex Ahaz, de quo Esaia cap. vij. scribitur, dicentes, non tentabimus Dominum Deum nostrum, eundo sine auxilio humano, contra hostes nostros, sed utamur medijs & auxilijs uicinorum nostrorum, quos in societatem belli assumemus. Fert itaq; Deus contra eos sententiam dicens. Væ eis, deuastabuntur, hoc est, omnem suam spem liberationis collocant in Aegyptios, & Afsyrios, sed frustrabuntur spe sua. Nam ab illis ipsis Aegyptijs, & Afsyrijs deuastabuntur, hi enim non conseruabunt Regnum eorum in colume, sed diripient, & funditus debunt. Ecce hic exitus sequit̃ eos, qui non credunt uerbo & promissionibus Dei, sed relicto uerbo, aliena auxilia contra uerbum quærun.

Pœna incredulorū.

Ingratitudo Israelitarum.

Non solum autem peccarunt Israelitæ, incredulitate, sed etiam summa ingratitude contra Deum, ita enim ait Dominus, Ego redemi eos. Ipsi uerò locuti sunt contra me mendacium, quasi dicat, Redemi eos hæctenus ex omnibus suis afflictionibus, ex Aegypto, à Gentibus Chananæis, à Philistinis, Amalecitis, Ammonitis, Moabitis, & ab omnibus suis hostibus, Nuper admodum liberaui eos à Benadad Rege Syriæ, qui durissima obsidione eos premens, coegit eos ut præ fame ne liberis quidem suis parcerent. Liberati quoq; eos sub Rege Ioahas de manu Syrorum, iij. Regum xij. Et postea sub Ierobeam, qui restituit terminos Israel ab Emath, usq; ad mare solitudinis. Et si autem hanc liberationem & redemptionem, immeritis ipsis præstiti, tamen ingrati sunt & loquuntur contra me mendacium. Ecquæ sunt illa mendacia? Dicunt palàm quòd quidem me inuocent, ego autem non exaudiam eos. Ieiunauimus (inquiunt quemadmodum illi apud Esaia cap. lvij.) & non aspexisti, humiliuimus

mus nostras animas, & nesciuiſti. Vis autem dicam tibi, quare non exaudiam eos? Non clamant ad me ex uero corde: non orant ex propoſito bono, neq; ex uera fide & fiducia, ſed ululant tantum, quemadmodum Eſau quondam ululabat, & ſicut omnes hypocritæ ſolent. Et clamant non quòd iniquè egerint, ſed quòd calamitatibus obruti & oppreſſi ſint, Neq; orant ſed tantum propter præſens malum ululant, ideoq; non exaudio eos. Clamant (inquit Dauid Plalm. xvij.) ſed non erat qui ſaluos faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos.

Oratio quare non exaudiatur.

Vis præterea ſcire, quid à me petant? Non pietatem, non iuſticiam, non Remiſſionem peccatorum ſuorum, ſed uinum, & triticum. hæc ſi uili precio uenderentur, non curarent peccata ſua neq; reſipiſcerent, ſed ferre poſſent, ut totus mundus ipſos pro hæreticis, & nebulonibus haberet. Cùm premit & urget eos neceſſitas & omnium rerum maxima eſt penuria, promittunt neſcio quam Reſipiſcentiam, & emendationem ſuæ uitæ. Sed cum ego tribuo eis omniũ rerum copiam, ita ut præ abundantia eructent crepitus oris, multò deteriores redduntur & ſubinde in maiora ſcelera ruunt, abutentes hiſce donis meis ad crapulam, & ebrietatem.

Reſipiſcentia ficta.

Idem ferè nos facere ſolemus. In rerum omnium abundantia genio indulgemus, & mirum in modum, imò more porcorum uoramus, & nemo nos in diſciplina aliqua retinere poteſt. Tempore uerò famis, incipimus ululare, & eſt querelarum noſtrarũ, nullus modus neq; finis. Sed Deus non exaudit has querelas, & ululatum noſtrum impium: non enim ex fide, ſed urgente neceſſitate clamamus. Si autem uoluerimus exaudiri, agnoſcenda ſunt peccata & reſipiſcendum.

Quid amplius malorum commiſerunt Iſraelitæ? Tradidi, inquit, interdum Iſraelitas in manus hoſtium ſuorũ, ut uincerentur, & ab eis affligerentur. Verbo quoq; meo peccata eorum ſæpius reprehendi & ad meliorem frugem reuocaui. Idq; non hoc animo, ut eos proſus perderem, ſed ut hac afflictione ſiue pœna admoniti ad me reuerterentur, & uitam ſuam emendarent, & ego per hanc pœnitentiam, ipſorum potentiam contra ſuos hoſtes confortarem. Sed ecce impietatem huius populi, quo magis ipſis fauebam, eò maiori me odio proſequebantur: non geſſerunt ſe tanquàm obediētes liberi, ſed tanquàm nebulones

Iſraelitæ ad plagas inſenſati.

omnium pessimi. Honesti enim, & probi liberi nullo odio parentes suos, propter uirgam, qua ipsos castigare solent, prosequuntur, improborum hoc est ingenium, quod parentibus propter uirgam irascantur. Ita Israelitae se gesserunt erga Dominum. Quod enim plus eos Dominus per eruditionem fortificare & adiuuare conabatur, eò longius ab ipso recedebant, & maiori odio prosequerentur, & ex correptione Domini fiebant duplo nequiores. Antea simplici quasi persuasione seducti peregrinabantur in Dan, Bethel, & ad alios fictitios cultus, Nunc uero ubi intelligunt sua sacra uerbo improbari, multò pertinacius & impudentius eis adherent, & non solum impietatem suam iustificat, uerum etiam omnes pios, cultus eorum impios reprehendentes persequuntur & interficiunt. Breviter, omnibus uiribus sese mihi opponunt, & absque iugo esse uolunt, hoc est, rebelles sunt, & facti sunt sicut arcus dolosus, qui minatur quidem ictum, sed cum intenditur ad eiandam sagittam, aut fallit aut frangitur: ita Israelitae etsi simulant externam quandam iusticiam, tamen re ipsa sunt hypocritae, & uerè de ipsis dixit Dauid in lxxviij. Psalmo. Filij Ephraim intendentes & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli. Adhuc, Principes eorum magnificè iactant suas uires, gloriantes se resistere hostibus, & defendere subditos suos posse. Loquuntur etiam temerè & impiè de uerbo Domini, imò cum audiunt uerbum meum allegari à Prophetis, statim furere incipiunt, quemadmodum nostro tempore multi primores ad nomen Euangelij insaniunt. Tanto enim odio prosequuntur Euangelium, ut etiam ab ipso nomine abhorreant, & omnia maledictionum genera in Euangelij doctrinam congerant. Ac profecto Tartari aut Turcae uix contumeliosius loqui de uerbo Dei possent, quàm apud Iudaeos Principes, & hoc nostro tempore multi primores solent. Sed putas tu Deum hanc maledicentiam inultam posse ferre? Nullo modo. Ita enim hoc loco de Principibus Israeliticis dicit: Cadent in gladio Principes eorum, propter superbiam, siue furorem linguæ suæ. hoc est, non impunè ferent Principes suas blasphemias, quas contra uerbum & Prophetas meos euomunt. Cum enim Prophetæ ex uerbo meo ipsos resipiscentiæ, atque obedientiæ admonent, ridere solent, dicentes: Quid tu nobis de auxilio Dei & collocanda in ipso spe nostra concionaris? Vulgò dici solet: spem & expectationem facere maximos

Arcus dolosus.

Verbi contemptus quantus.

Peena contemptorū uerbi.

maximos stultos. Et, Is cui nimium fidebam, abstulit mihi equum. Et iterum, Diu expectandum, donec de cœlo afflata columba in os ueniat. Has (inquam) blasphemias & subsannationes ulciscar ego. In Aegypto enim, ex qua auxilium quærunt, dignas pœnas pro eis dabunt. Loquitur autem (ut mihi quidem uidetur) Deus de pœna, cuius paulò antè facta est mentio, & quæ extat Deut. uigesimo octauo capite. Reducet te (inquit Moses) Dominus classibus in Aegyptum per uiam, de qua dixit tibi, ut eam amplius non uideres, ibi uenderis inimicis tuis in seruos & ancillas, & non erit, qui emat.

Sed alij ita interpretantur. Tales subsannationes didicerunt in Aegypto, erit itaque talis sensus. Satis ridiculè de auxilio meo loquuntur dicentes: Agite uos noui Prophetæ, Quando uel tandem ueniet Deus, erepturus nos ex nostris malis? Sed hæc subsannatio originem ducit ex Aegypto, in qua olim exules & peregrini fuerunt. Ita enim dicebat olim Pharaon Rex Aegypti. Quid ad me Dominus: nō noui eum. Siue didicerunt ex Aegyptijs ab ipsis in auxiliū uocatis. Hi enim tanquam Ethnici Deum unā cum suo uerbo contemnunt, dicentes purum putum esse mendacium, quod Prophetæ de Deo concionantur. Nisi enim ipsi coniunxissent uires suas cum Israelitis, iam pridem actum fuisset cum eis. Has impias uoces Principes Regni Israelis didicerunt ab Aegyptijs, quare omnes Prophetarum conciones contempserunt, quas de expectando auxilio diuino habuerunt. Ideoque Dominus ait, Quia subsannant uerbum meum, & discunt à præceptoribus suis Aegyptijs, faciam ego, ut ferulis ab Aegyptijs castigentur, pars enim seruient Aegyptijs, pars uerò gladio interficientur.

Subsanna-
tio Israeli-
tarū unde.

CAPVT VIII.

IN GVTTURE TVO SIT TVBA QVASI AQVILA SVPER DOMINUM DOMINI, PRO EO QVOD TRANSGRESSI SVNT FODVS MEVM, ET LEGEM MEAM PRÆVARICATI SVNT. ME INVOCABANT, DEVS MEVS, COGNOVIMVS TE ISRAEL. PROIECIT ISRAEL BONVM, INIMICVS PERSEQVETVREVM. IPSI REGNAVERVNT, ET NON EX ME, PRINCIPES EXTITERVNT ET NON COGNOVI, ARGENTVM SVVM ET AVREM SVVM FECERVNT SIBI IDOLA VT INTERIRENT. PROIECTVS EST VITVLVS TVVS SAMARIA. IRATVS EST FEROR MEVS IN EOS. VSQVE QVO NON POTERVNT EMVNDAR!

QVIA EX ISRAEL ET IPSE EST, ARTIFEX FECIT ILLVM, ET
NON EST DEVS, QVONIAM IN ARANEARVM TELAS E-
RIT VITVLVS SAMARIÆ.

Alia concio Oseæ Prophetæ. Principio autem præcipit ei Dominus ut adhibeat tubam palato suo, quod intelligi potest, uel quod Oseas (quemadmodum etiam præcipitur Esaiæ capite lvij.) debeat clamare, & quasi tuba uocem suam exaltare, & populo sua scelera annunciare, idque uelocissimè, quemadmodum aquila uolitat: uel quod præcipiatur Oseæ, ut classicum canat, & ad arma exhortetur populum, eo quod hostes uelocissimè, quasi aquila, inuadant domum Domini, & iam iam quasi in foribus sint. Sic enim Deut. uigesimo octauo scribitur: Ad-

Domus Do-
mini.

Ad cet Dominus super te gentem uelocissimam de longinquo, & de extremis terræ finibus in similitudinem Aquilæ uolâtis cum impetu, cuius linguam intelligere non possis, &c. Caterùm Domum Domini hoc loco non intelligo Templum in Ierusalem. Nam in principio huius capituli non contra Iudam, sed contra Israel concionatur, Nisi fortè dicamus tempore deuastationis Israelis imminuisse quidem periculum domui Dei, quâdo Saneherib Ierusalem obsidione cinxit, & oppugnauit, sed non expugnauit. Sed intelligo per domum Domini, familiam, Terram, uel Regnum Israelis, quod domus Domini dicitur, eo quod Dominus promissionibus suis se huic regno quasi addixerat. Et sicut Deut. undecimo scribitur, semper inuiserat, & oculi eius in eo fuerint à principio anni, usque ad finem eius. Vnde in sequenti capite de Israel dicitur: De domo mea eijciam eos. Cùm tamen Regnum Israelis Templum uel domum Ierosolymitanum nunquam possederit. Intelligitur igitur per domum Domini Terra, Regnum, aut familia Dei.

Sed cur (inquies) iubetur uocem suam exaltare, & classicum canere? Aut cur hostes uelocissimè populum Israel oppriment? Quia, inquit, fœdus meum, hoc est, Legem meam præuaricati sunt. Est enim lex fœdus, quo sese Dominus Israeli, & uicissim Israel Domino addixit, atque deuouit. Vnde fit, ut quicumque in Israel aduersus legem Dei peccabat, & promissionibus diuinis non adhibebat fidem, sed auxilium Aegyptiorum, aut aliorum, in sua necessitate quærebat, coram Deo, pro proditore, & deuastatore haberetur. Nam alij externi proditores, produnt Terram

Proditores
ueri qui.

uel

uel Regnum tantum uerbis, peccatores autem produnt re ipsa coram Deo. Illi non possunt nocere, hi uerò maximè nocent, eo quòd Deum ad iracundiam prouocent, & peccatis suis hostibus potestatem faciant diripiendi & deuastandi Regnum. Quoties Dauid proditur unà cum suis socijs? Nunquàm tamen potuit in eum aliquid proditio, eo quòd legem Domini sequebatur, & iustam habebat causam.

Sed potuissent Israelitæ respondere. Quid? præuaricamur ne nos Legem Domini, & non credimus promissionibus eius? Tamen die ac nocte inuocamus eum, & Legis eius cognitio apud nos est, Acquiescimus in Lege eius, & nouimus uoluntatem eius? Ad hæc respondet Dominus, Me quidem inuocant, confitentur Legis atque Dei cognitionem, fatentur se scire, quid bonum, quid malum, quid iustum, & quid sit iniustum. Sed bonum à se proijciunt. Clamant quidem ad me, sed interea omnem suam fiduciam collocant in Aegyptios & sua Idola: sciunt quidem quid sit honestum & equum, sed non faciunt, & ne minimum Legis præceptum, prout deberent, obseruant, aut custodiunt. Non autem omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum: & non qui audiunt legem iusti sunt apud Deum, sed qui Legem factis exprimunt, iusti reputabuntur. Nihil igitur promouetur clamore, & nuda tantum cognitione legis, Sed oportet, ut credant, confidant, & ipso opere, quæ cognouerunt, perficiant. Quia igitur, inquit, Israel non custodiuit factis legem meam, ideo persequetur eos inimicus. Sic enim in pacto Legis constitutum est Deuter. uigesimo octauo, Tradet te Dominus corruentem ante hostes tuos, per unam uiam egredieris contra eos, & per septem fugies, ac dispergeris per omnia Regna terræ. Quod supplicium impletum est in Israelis deuastatione per Salmianessarem, & adhuc hodie impleri uidemus. Edocti ergo hoc Israelitarum exemplo sciamus minas Dei contra contemptum uerbi Dei, ut reliqua peccata, non esse neque uanas, neque irritas.

Sed quæris amplius, in quo Israelitæ Legem Domini, aut uerbum Dei sint præuaricati? In initio (inquit) ipsi regnauerunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui: Factum hoc est statim post mortem Salomonis, quando Rehabeam filius Salomonis patri suo succedere uellet. Verbum enim Domini ha-

Cognitio legis nuda nõ sufficit.

Pœna uiolatorũ pacti legis Dei.

Israelis regnum quo modo non à Deo.

bet, quòd Dauid, & posterì de familia eius, debeant in Israel regnare. Mortuo aut̃ Salomone, petebant Israelitæ remissionem onerũ quę imposuerat Salomon, qua nõ impetrata, deficiebant à familia Dauidis, contumelia eam afficientes, & dicētes: Quę nobis pars in Dauid, & quæ hæreditas in filio Isai? Et eligebant sibi peculiarem regem, cui nomen erat Ierobeã, ex familia Ephraim, contra expressum uerbũ Dei, mandantis, sicut dixi, ut ex familia Dauid eligerent reges. Adhęc, postea reges Israel alter alterum interficiebat, & regnum interfecti ad se rapiebat. Sic Baesã interfecit Nadab, Simri Elam, Jehu occidit Ioram, Sallũ Zachariam, Menahen interficiebat Sallum, Pekath occidit Pekaiham, Oseã ultimus Israelis rex interficiebat Pekath. Regnum igitur Israelis cepit seditione, & primus eius rex Ierobeam per seditionẽ creatus est in regem. Et omnes ferè eius posterì Tyrãide, & seditionib. Regnũ occuparunt, ideo inquit hoc loco Dominus. Regnauerunt, sed non ex me. Constituerũt Principes, sed non cognoui.

Regnum
Israel cum
fuerit ordi-
natio Dei,
quomodo
non regna-
uerint re-
ges ex Deo.

Cur aut̃ dicit Dominus, Nullum ex se regnasse, cũ tamen iij. Reg. xij. dicat, A me factũ est uerbũ hoc. Et paulò antè dicit Dominus per Prophetam Ahiam ad Ierobeã, Hęc dicit Dominus, Ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Erisq; rex super Israel. Et postea cap. xiiij. Exaltaui te de medio populi, & dedi te ducem super populum meum Israel, & scidi regnũ domus Dauid, & dedi tibi &c. Et ad regem Baesã. Exaltaui te de puluere, & cõstitui te in Principem populi mei &c. Vnigũ quoq; Jehu ab Elia super regnũ Israel, mandato diuino. Cur ergo hoc loco ait, Reges constituerunt, sed non ex me? Respondeo. Quatuor hic sunt obseruanda. Primo, Abscondita & oĩpõtens actio Dei. Secũdò manifesta & legitima ordinatio Dei. Tertio persona, quæ eligebat in regem. Quartò, persona subditorũ eligentium regem. Hisce ergo quatuor singulis seorsim consideratis facile ad quęstionem respõderi potest. Si. n. occultam & generalem Dei administrationem consideraueris, dubium non est, quin à Deo fuerit defectio decem tribuũ à regno Dauidis: sine uoluntate enim Dei non cadit capillus de capite nostro, Ac ne passer quidem in terram. Permisit aut̃ Deus hanc defectionẽ fieri, ut non solũ hac Israelem affligeret, uerũ etiam familiam Dauidis castigaret, Et propter hanc causam primò quidem Ierobeam, deinde reliqui in Israel reges à Deo electi sunt. Quin etiam

ob hanc causam Iehu in regem à Deo eligebat, ut per eū familiam Achab affligeret, atq; radicitus deleret sacerdotes Baaliticos.

Si autem consideraueris manifestam ordinationem Dei, quæ extat ij. Sam. vij. Et Psal. lxxvij. in qua Deus manifestè significat, q̄ reges Israelis ex familia Dauidis eligi debeant, tunc Israelitæ impiè, & contra ordinationem Dei fecerunt, eligendo sibi peculiarem regem, & rectè dicit hoc loco, Regnarunt, sed non ex me.

Quòd si respexeris ad personam eius qui in regem electus fuerat, & eorū qui regē elegerunt, tunc etsi electio regis & defectio populi fuit opus Dei, quo posteritatem Salomonis & pertinaciam populi punire uoluit, tamen quia reges, quantū ad ipsorum personā attinet, impij erant, & non ex fide, aut promissione Dei ut debuissent & propter singulares Dei promissiones potuissent, (presertim Ierobeā, & cū eo alij nonnulli) sed ex libidine & Tyrānide regnū Israelis absq; omni cognitione Dei, & administrationes eius, occuparunt, rectè de eis dicit, q̄ regnauerint quidem, sed sine ordinatione & uolūtate Dei. Nam ad salutem non sufficit, Deum aliquid uelle, aut placere ei aliquid, sed requiritur ut homo, qui uoluntatem, & opus Dei exequitur, ex fide illud faciat. De uastatio urbis Ierusalem fuit & ipsa opus, atq; ordinatio Dei, elegeratq; Deus regem Babylonie Nebucadnezarē, ut esset executor huius sue ordinationis, & uolūtatis, sed quia Nebucadnezar nullam fidem & cognitionem actionis, & ordinationis Dei habebat, nihil proderat ei opus hoc ad salutem, sed potius oberat. Sic multi inter gentes inuenti fuerunt, qui uitam suam maluerunt perdere, quàm fidem etiam hosti datā fallere. Etsi autē Deus ipse precepit & ordinauit, ne frangamus fidem, tñ quia Ethnici opus hoc fecerunt non ex fide aut cognitione uolūtatis, aut preceptorū Dei, sed potius ex ambitione, & ad conseruationem nominis sui, non fuit, quantū ad ipsorū personam attinet, opus Deo acceptum, neq; celsit eis in salutem. Ita etiam de regib. regni Israel iudicandum est. Regnum. n. per se fuit ordinatio Dei (quemadmodū supra audiuius, sed quantum ad ipsorum personā pertinet, non regnauerunt ex Deo. Impij enim fuerunt, neq; secundum uoluntatem Dei regnum occuparunt, & administrarunt.

Postremò si uoluerimus respicere in personam subditorum, qui defecerunt à posteritate Dauid, & sibi peculiare regē elegerunt, proculdubio impiè, & sediciose egerunt, Non. n. ex fide, aut pro-

Ad salutē
quid requi-
ratur.

Vulgi inge-
nium.

pter diuinas causas, à Dauidis familia defecerunt, sed ex mera li-
bidine, ingratitude, & carnali, addo etiam ex auara spe, remissi-
onis onerum suorū ciuiliū. Testatur liber ij. Samuelis, quòd
regnante Salomone tanta fuerit copia auri & argenti, quanta fu-
erit lapidum, in plateis ciuitatis iacentium, & quòd subditi uixe-
rint in summa tranquillitate, & abundantia omnium rerum ne-
cessariarum, Nihilomiuus tamen ingratos sese exhibebāt, adeo
ut à se prorsus excutere iugum cuperent. (Hoc enim est ingeniū
uulgi, quòd non sit contentum præsenti statu rerum tolerabili,
sed subinde affectet maiora, & cupiat ab omnibus grauaminib.
liberari) ex hac (inquam) ingratitude, & cupiditate carnalis li-
bertatis, more seditiosorum hominum eligebant sibi nouum
regem, non ex fide, nullū enim extabat uerbum Dei, quod man-
dabat ipsis defectionem à familia Dauidis, & electionem Noui
Regis. Aut si habuissent aliquod mandatum, tamen carebant fi-
de in uerbum, & in eligendo Rege agebant omnia pro sua car-
nali libidine libertatis. Quod autem non fit ex fide, peccatū est,
etiamsi per se non sit malum. Vnde nullus pius Rex in Israel un-
quam fuit. Diuerso itaq; respectu electio Regum Israeliticorū
pia & impia, ex Deo & non ex Deo fuit.

Auri & ar-
genti abu-
sus Idolo-
laticus.

Sequitur alia exprobratio, Aurum suum, & argentum suum
fecerunt sibi Idola ut interirent. Ingens hoc est peccatum. Largiē
enim Deus aurum & argentum in usum humanū, ut proximus
inde adiuuetur, atq; hic est eius uerus & legitimus usus. Cū au-
tem Idola ex auro uel argento conficiunt homines, sicut fecerūt
Israelitæ ex eo duos aureos uitulos, & alia quædā Idola, Aut quæ-
admodum nos Christiani hætenus aureas & argenteas Imagi-
nes, & quas uocant Monstrantias fabricamus, tunc conuertitur
in abusum & impiè perditur. Et quia Idola ex eo conflant, con-
tra legitimum & à Deo destinatum usum, abripiūt secum in in-
teritum gentem & Regionem. Ideoq; ait Dominus: duo tui au-
rei uituli ò Israel, quos constituisti in Bethel, & Dan, coram ocu-
lis meis abominabiles, & proiecti sunt. Iratus est furor meus in
eos, non possum ultra tantas impietates ferre, idcirco auferen-
tur. Nam postea sequitur capite decimo, quòd uituli illi au-
rei, quos coluerunt Israelitæ, facti sint præda hostium, & trans-
lati in Assyrios. In hac parte pulchrè præueniunt Magistra-
tus, & Principes Germaniæ, Turcam. Auferunt enim ex
Templis

Templis ornamenta aurea & argentea, & prorsus nihil relinquunt depreſandum Turcæ. Hoc autem tolerabile fortassis eſſet, ſi in pios & ueros uſus conuerterent: Quod ſi non fecerint, magno certè ſuo malo auferunt.

Temploſi
ſpoliatores

De Brenno duce Gallorum ſcribunt, quòd Templum Apollinis conatus fuerit libidine Auaritiæ & cupiditate auri, cuius magna uis in illo templo erat, ſpoliare, ſed propter impietatem ſuam à Deo ipſo tanta ſeueritate punitus ſit, ut omnis exercitus eius funditus, & uſque ad internecionem deletus ſit. Et ſi enim Apollo Idolum eſſet, & Templum eius Idololatrica ſpelunca, tamen quia Galli Apollinem uerum Deum eſſe exiſtimabant, & nihilo minus ſpoliare niterentur, non aliter Deus tulit, quàm ſi ſuum ipſius Templum ſpoliandum ſuſcepiffent. Ideoque ſeueriſſimè eos ad uindicandam gloriam nominis ſui afflixit: uult enim, ut etiam in Idolis nomen ſuum honore afficiatur. Cauet ergo ſibi quiſque, ne hiſce bonis Eccleſiaſticis tot modis inquinatis, abutatur, ſed potius ad pium aliquem uſum ex uera fidei obedientia uertat. Et ſanè multa in hac re opus eſt diligentia: maledictum enim eſt aurum & argentum illud, quod hæcenus ad Idololatriam uſurpatum fuit, & multum temporis in eo repurgando infumendum erit. Vnde Propheta noſter non immerito, diuturnitatem purgationis eius admiratur, dicens. Viſque quo non poterunt emundari: hoc eſt, Longo tempore opus erit, donec aurum, & argentum, ex quo conflati ſunt uituli, à maledictione, & ſordibus Idololatriæ repurgentur. Neceſſe erit ut non ſepties, ſed multoties per ignem probentur. Adeo enim per Idololatriam ſordidata ſunt, ut Gens & Regnum ſordibus illis inquinentur & inficiantur. Quam igitur proſperitatem cum hiſce bonis tibi promitteres?

Aurū Ido:
laticum,
maledictū

Sed ut manifeſtè intelligeremus, uitulos illos delendos & abijciendos eſſe, deſcribit Propheta quid ſint & unde originem ducant, aut quis ſit autor eorum. Ex Iſrael (inquit) eſt uitulus. Artifex fecit illum, & non eſt Deus. hoc eſt, Deus non eſt autor uitulorum illorum aureorum, nec ſunt iuſſu diuino conſtituti, ſed ex Iſrael ſunt, nam Iſraelitæ excogitarunt. Ierobeam primus eorum rex, inſtinctu conſiliariorum ſuorum, inſtituit hunc cultū, uolens eo retinere populū ſuum in regno, ne Hieroſolymam proficiſcētes, à ſe ruruſus deficerent. Cōſilio igitur huius regis, non

Vitulorū
Ierobeam
deſcriptio.

Dei, suscepit artifex, aut aurifaber fabricandos & formandos. Et quia manibus artificis ex auro conflati sunt, qui fieri possit, ut essent dii, id est, uerus & legitimus cultus Dei, quo quis tutò fidere, aut cuius merito quis clementiam & auxilium Dei sperare possit. Euentus tandem demonstrabit, quàm stultè desipuerint Israelitæ. Nam ueniet tempus, ut in fragmenta uituli illi rursus conterantur. Ex fragmentis conflati sunt, in fragmenta ergo rursus ita sunt comminuendi, ut nesciatur quò tandem euauerint. Omnis enim (inquit Christus) palmes quem non plantauit Pater meus eradicabitur, & in ignem conijcietur. Habes descriptionem Aureorum uitulorum, & autores, nec non artifices eorum. Similiter autem Missam Papisticam describere poteris. Non enim ex Deo est Missa Papistica, sed ex hominibus, Artifices enim, qui sunt Romani Pontifices, fabricauerunt eam. Celestinus primus artifex ordinauit, ut Psalmi Dauidis, quos Introitus uocauit, canerentur antiphonatim in principio Missæ pro Introitu. Gregorius ordinauit, ut precatio kyrie eleison nouies post Introitum repetatur. Telesphorus addidit Gloria in excelsis. Gelasius adiecit preces quas collectas uocant. Hieronymus Epistolas, & Euangelia. Ierosolymitani Alleluia. Marcus eius nominis primus uoluit, ut magna cum uoce caneretur Symbolum Nicenum. Pelagius instituit in Missa memoriam defunctorum. Xystus ordinauit, ut caneretur Sanctus. Breuiter alius hoc, alius aliud in Missa ordinauit: hic fabricauit in Idolo Missæ aurem, alius nasum, alius manus, alius pedes, donec talem cultum, qualis nunc in usu est apud Papistas, perfecerint & absoluerint. Negari quidem non potest, quin nonnulla eorum quæ in Missa habentur, non ab hominibus, sed à Deo sint orta, ut sunt Epistolæ, Euangelia, preces, & cœna Dominica. Sed quid tum postea? Tamen & uituli Samaritani nonnulla habuerunt in se, quæ non ab hominibus, sed à Deo originem sumpserant. An non aurum ex quo conflati erant, bona est Dei creatura? An non forma uituli à Deo creata, & per manum artificis ordinata est? Nihilominus tamen, cultus ille, quem uitulis illis aureis instituerant Israelitæ, improbatur, & stolidis hominibus adscribitur. Sic & si in Missa sunt quædam, quæ per se sunt bona, & à Deo ordinata, tamen connectio partium Missæ prorsus humana, non diuina est adinuentio. Adde etiam hoc, quòd cultus ille

Prologus
artificis

Missæ Papi-
sticæ descri-
ptio.

Missæ colla-
ta cum ui-
tulis Sama-
ritanis.

ille Missæ Papisticæ sit Idololaticus, & summa contra Christi u-
nicum sacrificium blasphemia. Cùm enim Missa Papistica hoc
consilio instituta sit, & (ut uocant) celebretur hac opinione, ut
per illud sacrificium in ipsa oblatum, expientur peccata uiuo-
rum, & mortuorum, negari non potest, quin (quantũ in se est)
sacrificium Christi semel in cruce oblatũ summa iniuria afficiat,
atque blasphemet. Quare, cùm sit humano consilio instituta,
non poterit esse Deus, hoc est, cultus diuinus, placens Deo,
cuius merito sibi quis salutem tutò promittere potest. Quin i-
mò, quemadmodum ex uarijs partibus confuta & conflata est,
ita rursus etiam dissoluetur, & prorsus in nihilum redigetur. Ac-
que adeo omnes, qui huic impio & Idololatrico cultui adhæse-
rint, tandem sicut Israelitæ, confundentur. Qui autem secutus
fuerit ueros cultus, hoc est, Legi, aut uerbo Dei obedierit, ille
constabit, atque uitæ æternæ particeps fiet.

Missæ, cultus
Idololatri-
cus.

QVIA VENTVM SEMINABVNT ET TVRBINEM METENT.
CVLMVS STANS, NON EST IN EO GERMEN, NON FACIET
FARINAM: QVOD ETSI FECERIT, ALIENI COMEDENT
EAM.

DEVORATVS EST ISRAEL. NVNC FACTVS EST IN NATIONI-
BVS QVASI VAS IMMVNDVM.

QVIA IPSI ASCENDERVNT AD ASSVR: ONAGER SOLITA-
RIVS SIBI EPHRAIM: MVNERA DEDERVNT AMATORIBVS
SVIS.

SED ET CVM MERCEDE CONDVXERVNT NATIONES, NVNC
CONGREGABO EOS, ET QUIESCENT PAVLISPER AB ONERE RE-
GIS, & PRINCIPVM.

QVIA MVLTIPlicAVIT EPHRAIM ALTARIA AD PEGCANDVM, FA-
CTÆ SVNT EI ARÆ IN DELICTVM.

SCRIBAM EI MVLTIPlicES LEGES MEAS, QVÆ VELVT ALIE-
NÆ COMPVTATÆ SVNT.

HOSTIAS OFFERENT, IMOLABVNT CARNES ET COMEDENT, ET
DOMINVS NON SVSCIPIET EAS, NVNC RECORDABITVR INIQVI-
TATIS EORVM, ET VISITABIT PECCATA EORVM, IPSI IN ÆGY-
PTVM CONVERTENTVR.

ET OBLITVS EST ISRAEL FACTORIS SVI, ET ÆDIFICAVIT
DELVBRA, ET IVDAS MVLTIPlicAVIT VRBES MVNI-
TAS, ET MITTAM IGNEM IN CIVITATES EIVS, ET DEVORABIT
ÆDES, ILLIVS.

Commune, & uulgatum est dictum, Cuiq; sui mores fin-
gunt fortunam, & quod quisq; seminat, idem etiam metet: si se-
minauerit quis bonum triticũ, metet quoq; bonum triticũ: si se-
minauerit auenam, metet quoq; auenam. Vnũquodq; granum
fert fructum secũdum genus suum, nec est quòd quis speret se

Quod quis
que semi-
nat, idem
etiã metet

messurum triticum è semine zizaniorum. Vnde Oseas de Israele ait, Seminant uentum, & turbinem metent, hoc est, qualia seminant, talia metent, semināt mala, & aduersa, metent ergo aduersa & mala. Volunt mala, ergo accident eis mala. Sic enim scriptum est Prouerb. xxij. Qui seminat iniquitatem, metet mala. Et ad Galat. vj. Quicquid seminauerit homo, hoc & metet. Nam qui seminat per carnem, de carne metet corruptionem, sed qui seminat per spiritū, de spiritu metet uitam æternam. Ita enim à Deo est ordinatum, ut peccata & transgressiones contra legem eius semina sint, quæ sua natura ferunt tempore messis maledictionem, perditionem, & æternam damnationem. Ita enim ait Moses Deut. xxvij. Si non audieris uocem Domini Dei tui, ut facias cuncta, quæ præcepit tibi, Maledictus eris in ciuitate, in agro, &c. Et Paulus ad Ro. ij. His qui sunt contentiosi, & ueritati non obtemperant, sed iniusticiæ, uentura est indignatio, ira, afflictio, & anxietas. Et Christus Ioannis v. Qui mala egerunt ibunt in æternam damnationem. Verbi gratia. Qui fornicat, seminat malum semen & zizania. Quid ergo tempore Messis metet? Nihil nisi maledictionem & ignem æternum. Hos enim fructus profert semen fornicationis, & in talibus (ut uocant) Dedicationibus, tales distribuuntur Indulgentiæ. Qui proximo inuidet, aut decipit eum, malum semen in agrum carnis suæ proijcit. Quid ergo metet? æternam maledictionem. Contra Fides, siue iusticia fidei, à Deo ordinata est, ut sit semen bonum, quod tempore Messis proferat fructum benedictionis, Maiestatis, & æternæ felicitatis. Ita enim scribit Moses. Si audieris uocem Domini Dei tui, Benedictus eris in ciuitate, in agro, &c. Et Paulus Roman. ij. Qui secundum conscientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, uitam æternam.

Peccata
sunt semi-
na.

Peccatum
semini &
messi qua-
re compa-
retur.

Non autem inconueniens comparatio est, quòd peccatum unà cum suis fructibus Semini & Messis comparatur. Quemadmodum enim inter Seminationem, & Messem, longum tempus est, in quo semen niuibus ita obtegitur, ut nisi tibi nota esset rerum natura, existimares prorsus actum esse de semine. Ita etiam longum temporis interuallum est inter peccatum & maledictionem, inter iusticiam & benedictionem, ita ut sæpius homines cogitent, peccatum non maledictum, neq; iusticiam benedictam. Sed quod differtur, non aufertur. Quo longius enim
sue

siue maledictio siue benedictio differuntur, eo grauiori uel tan-
dem pondere compensabuntur.

At uerò Israel uentum siue spiritum nequitiae seminauit, Ventum se-
minantes.
proinde, dicit Propheta, messurus est tempestatem, Turbinem,
Maledictionem & omnes afflictiones, quarum una hoc loco re-
censetur, Seges inquit eorum non proferet germen, nec dabit
farinam, Aut si dederit, alieni tamen deuorabunt eam, Neque
fruent seminatione sua siue proferat siue non proferat fruges.
Ita enim ait Dominus per Moſen Deute. xxviiij. Maledictus fru-
ctus terræ tuæ, sementem multam facies in terra, & modicum
congregabis, omnes arbores tuas, & fruges terræ tuæ rubigo
conſumet. Item, fructus terræ tuæ, & omnes labores tuos, come-
det. populus quem ignoras, donec conteraris. Et Leuit. xxvj.
Consumet in cassum labor uester, non proferet terra germen,
nec arbores poma præbent. Et testatur Propheta Aggeus
hanc maledictionem suo tempore impletam, ita enim ait cap. j.
Seminastis multum, intulistis autem parum.

Sed quid opus est huius maledictionis impletæ exemplum
ab Israelitis petere, cum manifestissimum nobis exemplum ob-
oculos sit positum. Anno enim superiori, qui fuit millesimus
quingentesimus uigesimus nonus, apud nos, in superiori Ger-
mania, loco tritici creuerunt steriles spicæ, ex quibus farina con-
fici non potuit. In Vngaria uerò, quicquid frugum fuit deuora-
uit omne Turcicus exercitus. An non igitur Mesis indicat qua-
lem fecerimus sementem? Hoc est, An non ex afflictione, &
supplicio ipso cognosci potest, quæ illa sint nostra peccata, quæ
contra Deum commisimus? Sed quotus quisque est qui hac ca-
lamitate, uel supplicio admonitus resipiscat? Non ergo alia uel
melior fortuna nobis, quàm olim Israelitis est expectanda. Sic e-
nim sequitur, Deuorabit Israel & dispergetur inter gentes, qua-
si uas immundum, quod projicitur ad locum sordidum, ut pe-
reat. Est & hoc supplicium sumptum ex Deut. xxviiij. Fructus ter-
ræ tuæ, & omnes labores tuos comedet populus, quem igno-
ras, & eris semper calumniam sustinens, & oppressus cunctis die-
bus, & stupens ad terrorem eorum, quæ uidebunt oculi tui.
Accidit quoq; Israelitis hoc supplicium eo ipso tempore, quan-
do Salmanezar Regno ipsorum expugnato atq; occupato, eos
in uarias nationes abduxit. Neq; adhuc cessat supplicium illud,

Maledictio
nis exem-
plum, 1529.
annus.

Abductio
& disper-
sio populi,
pœna pec-
cati.

Deuoratio
nis & di-
spersionis
causa.

Nam dispersi sunt hodie Iudæi inter omnes gentes, nec restat ulla spes redeundi in terram suam. Sed quæ est causa, ob quam Israel deuorandus & dispergendus est? Generalis causa est transgressio fœderis illius, quod pepigit cum eis Dominus. Speciales autem causæ recensentur hoc loco ab Oseæ. Initio enim ascenderunt ad Assur, hoc est, Assyrios, conducentes operam eorum contra suos hostes, atque ad eos ita properarunt, quasi nudati essent omni diuino auxilio. Et quemadmodum Amatores sese totos adglutinant suis scortis, ut ab eis auelli se non patiantur. Ita Israelitæ contempto Domino Deo, Assyrijs suis ita adhæserunt, ut neque Dei neque Prophetarum minis mouerentur, & ab eis auellerentur. Et si, n. admonerentur per Prophetas, ut in solius Domini manus atq; promissiones respicerent, atque relicto auxilio Assyriorum, ipsius tantum ope niterentur, tamen omnes illas admonitiones contemnentes faciebant quod uulgo dicitur: Nitimur in uetitū semper cupimusq; negata. Et quod Propheta ait, similes fiebant syluestri Beluæ Onagri, de cuius impetu Iob cap. xxxix. ita scribit, Quis dimisit Onagrum liberum? Et uincula eius quis soluit? Cui dedi in solitudine domum, & rabiernacula eius in terra falsuginis. Contemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit, circumspicit montes pascuæ suæ, & uirentia quæq; perquirat. Tali impetu Ephraim quoque ad Assyrios properant, contemnentes, & pro nihilo ducentes auxilium Dei quod promiserat eis. Breuiter, sicut onager clamorem exactoris non audit, ita Israelitæ non audiunt, neque curant clamorem Dei & Prophetarum eius, conantium eos ab Assyrijs ad obediendum Domino Deo suo abigere. Eadem similitudine à moribus Onagri sumpta utitur quoq; Ieremias cap. ij. ubi describit mores incolarum regni Iuda, dicens, Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit uentum amoris sui, nullus auertet eam.

Vulgi ingenium.

Est & nostro tempore maximus numerus eorum qui cicurari se non patiuntur. Initio enim uulgus sub prætextu Euangelij, tantum carnalem querit libertatem, contemnit pariter novos & ueteres (ut uocant) sacrificulos. Deinde ita uiuunt, perinde ac si ex se ipsis (ut dicitur) haberent uitam, aut non opus haberent auxilio diuino. Postremò, omnem contemnunt honestatem, nec patiuntur se cicurari. Sed hoc non est Euangelicè, sed more

Onagri

onagri uiuere, ideoq; necesse habebunt tandem propter deprauatos suos mores & beluinam uitam perire.

Sapientius autem exprobrat Oteas suis Israelitis auxilia illa, quæ apud Assyrios quæsiuerunt, sicut legitur iiii. Reg. xv. Nam Menahem rex Israelis postq; regnum suum occupasset homicidio & tyrannide, regi Assyriorum mille dedit talenta argenti, ut ad se ascenderet, & sibi regnum suum confirmaret. Inculcatur autem ideo sepius hæc petitio alieni auxiliij, ut ex ea grauitas cõtemptus diuinarum promissionum & confidentia in humana auxilia cognoscatur. Noluerunt Israelitæ credere, quòd iniquè egissent in uocandis Assyriorum auxilijs, sed ex pœna quæ postea secuta est, declarari potest grauitas huius peccati. Nam propter illud postea deuastatum est Regnum eorum.

Auxilij alieni petitio quomodo consideranda.

Et si autem existimare fortassis possemus, hæc quæ de auxilio Assyriorum hoc loco dicunt nihil ad nos pertinere, Non enim nos mittimus in Assyriam, imò maxima pars nescimus, quib. in locis mundi Assyria sit sita, tamen si uoluerimus res nostras diligentius considerare, inueniemus non apud Magistratū tantum sed etiam apud plebem, si nō prorsus idem, attamen ferè simile peccatum. Tunc n. Magistratus quærit auxiliū Assyriorum, quando nō curat ut sub suo imperio subditū piè atq; honestè uiuant, sed tantum in id incumbit, ut cum potentioribus fœdus ineant, quòd in suo imperio, siue per phas, siue per nephas, confirmetur. Prudentiam & industriam hanc uocant, tantum abest, ut nomine peccati censeatur. Licitum quidem est cum alijs Principibus fœdera iungere, & auxilijs eorum in periculis uti, sed inire fœdera cum alijs & auxilijs eorum ita fidere, ut interea non cures, siue subditi piè & honestè, siue impiè & inhonestè uiuant, hoc de mum graue est peccatum, & tale quod detrudit gentem & Regionem ad infernum usq;.

Magistratus quædo quærat auxilium Assyriorum.

Vulgus aut apud Assyrios auxilium quære dicitur, quando non ficit diuinis promissionib. in quibus Deus omnibus fideliter laborantib. omnem benedictionem suam promisit, sed potius se uertit ad imposturas, nugas, & malas artes, illisq; ita confidit, ut speret se non tantum ijs tutum fore ab hostibus paupertatis, sed etiam in diuitijs suis confirmari posse. Itaq; cum simul in Aegyptum proficiscimur, & apud Assyrios auxilia quærimus, expectanda erit eadē quoq; pœna, qua olim oppressi sunt Israelitæ.

Vulgus quando Assyriorum auxilium dicatur quære.

Quid ergo (inquis) accidit Israelitis? Id nimirum quod antè Propheta denunciauit, quàm re ipsa accidisset, ita. n. ait. Etsi auxilia, siue Afsyriorum, siue Aegyptiorum mercede conduxerūt, atq; eorū auxilio tutos se fore sperant in suo regno, tamen congregabo eos, non autem in regno Israel, sed inter omnes nationes, & populos, ad gentes (inquam) dispergam, neq; erit qui eos defendere contra gentes poterit: atq; adeo eo calamitatis peruenient, ut existiment bene secum actum esse, si saltem uitam suam retinere & conseruare liceat.

Exactionū
querela a-
pud Israeli-
tas frequēs

Præterea, conqueritur nunc populus quòd exactiōibus Regum & Principum expilent & exhauriantur, sed non sit eis mora longa. Breui. n. liberabo eos ita ab his oneribus, ut ne teruncium posthac suis Regibus & Principibus tribuere teneantur, aut seruire eis debeant. Vetus apud Israelitas querela fuit de exactiōibus, & onerib. suorum Magistratum, cœpitq; statim post mortem Salomonis. Cùm enim Rehabeam filius eius iam in hoc esset, ut patri suo in regno succederet, conueniunt eum, conquerentes ac dicentes: pater tuus Salomon durissimum imposuit nobis iugum, tu igitur imminue paululum de imperio patris tui durissimo, & de iugo grauissimo, quod imposuit nobis, & seruiemus tibi. Cùm autè Rex petitioni eorum satisfacere non uellet, per seditionem nouum sibi elegerunt regem, sperantes apud eum nescio quam libertatem. Sed spe sua lōgè frustrabantur, subinde enim à regibus suis maioribus oneribus premebantur, & accidit eis secundum Prouerbiū: Incidit in Scyllam cupiens uitare Charybdim. Nolentes. n. seruire Regi Rehabeamo, tolerabili, seruibant postea Regibus suis Tyrannis, & expilatoribus. Quin etiam illo ipso tempore quo Regi Phul persoluenda esset merces, pro auxilio suo, Menahem Rex indixit argentum super Israel cunctis potentib. & diuitibus, ut singuli darent quinquaginta siclos argēti. Procul dubio ergo conquesti sunt de hac exactiōe. Sed Dominus hoc loco eos per Prophetam ridet, dicens. Expectate adhuc paulisper, & pulchrè liberabo uos ab oneribus uestris. Salmanezar. n. Rex Afsyriæ breui ueniet, atq; uos ab omnibus oneribus, ab omnibus exactiōibus, censibus, & tributis liberabit, & uestro nomine persoluet, ita ut Regibus uestris posthac ne obulum quidem dare necesse habeatis. Sed ò miserabilem illam liberationem, & solutionem, pars enim inter

ficiebantur

Miserabilis libera-
tio Israeli-
tarum ab
exactiōi-
bus.

ficiabantur crudeliter, pars uerò abducebantur captiui miserabiliter. Exuebantur omnibus suis bonis, uxores & liberi uitabantur, atque adeo Regnum eorum tradebatur peregrinis gentibus, quarum linguam ipsi ignorabant. Quid est calamitas, si hæc non est? Liberabantur quidem ab oneribus Regum suorum, neque opus habebant posthac eis numerare, & persolvere tributa, neque sanè poterant, eo quòd omnibus bonis essent iam spoliati. Interea tamen capiebantur, & interficiebantur. At iusta hæc calamitas fuit: cum enim nollent obedire suis Regibus sibi à Deo propositis, coacti sunt in nomine diaboli seruire Regibus Assyriorum, & omnem iniuriam pati.

Sed quid dicam de nostri temporis hominibus? An non eodem prorsus ingenio peruerso præditi tibi esse uidentur? Tanta enim indignitate, & uirulentia suis magistratibus census, tributa, exactiones, & alia persolunt, ut ferre possent Turcam, uel Diabolum ipsum, in dominum suum, modo liberi ab omnibus oneribus esse possent. Peccat quidem Magistratus grauius coram Deo, quando prouentus suos helluationibus, luxu & conuiuibus perdit, Deinde autem subditos immodicis exactionibus excruciat, neque ferre poterit Deus impunitam illam crudelitatem, sicut uides Ezech. xix. Tamè etiam subditi grauius peccant, quando propter exactiones, & tributa, cupiunt liberari à naturali, & à Deo proposito Magistratu, atque loco huius Turcæ immanissimo hosti Christiani sanguinis seruire. Sanè, si non carerent communi sensu, facilè exemplo Israelitarum ad meliorem mentem reduci possent. Aut si fortassis longius petatum est hoc Israelitarum exemplum, intueantur saltem Vngariam: In hac enim Turca superiori anno omnes census, exactiones, tributa & uectigalia abrogauit, ita ut subditi posthac regi suo, etiamsi maximè uellent ea persolvere, non tamen possint. Sed uide mihi quæso, quanti constiterit Vngaros hæc liberatio, uel abrogatio? Partim enim crudelissimè trucidati, partim uerò, in perpetuam captiuitatem & seruitutem more bestiarum abducti, uirgines & uxores eorum constupratæ, & occisæ, Omnibus denique bonis spoliati sunt. Et quæ est crudelitas illa, quam in Vngaria Turca non exercuit? At hæc est fortuna eorum, qui ex desperata sua mente, nolunt onera à naturali suo magistratu imposita ferre, sed subinde nouis reb. studentes mutationem Magistratus sui seditiose moliunt.

Magistratus & subditi peccant propter exactiones.

Turca quomodo omnes exactiones in Vngaria abrogauerit.

Sacrificia
& aræ quo
modo sint
peccatum.

Dein de accedit aliud peccatum, propter quod regnum Israel est deuaſtandum, Quia (inquit) fabricauit ſibi Ephraim altaria ad ſacrificandum, ſed quid dico ad ſacrificandum? Imò factæ ſunt ei aræ ad delictum. Sacrificia enim quæ ſuper aris ſuis offerunt, non ſunt cultus diuinus, ſed peccatum. Et quidem tale, propter quod terra eorum deuaſtanda erit. Vide autem rem admiratione dignam. Israel enim ædificat altaria, ad laudem, gloriam, & cultum diuini nominis, & ſperat ſe hiſce conſeruaturum & gentem, & regionem, Deus uerò prorsus inuertit, & dicit quod propter has Aras, & cultus ſuos illos fictitios, corã ſe ſint maximi peccatores & rebulones, & quò magis attenti ſint ad colendũ Deũ, eò grauius peccare, & ſubinde magis, atq; magis in ſe prouocare iram ſuam: fore. n. ut propter ſua ſacrificia eiſciant ex terra ſua.

Intelligit
- dicit de aut
- ſimiliter
- Israelitis
- quæ doctri
- na fuerit
- noua.

Sed obijciat quis, qui fieri poſſit, quod Deus Israelitas propter ſua Altaria tam ſeueriter punire uelit, cum tamen ea (ut diximus) gloriam & laudem nominis ſui erexerint. Et procul dubio, ſi indicaret eis, quod hiſce aris potius peccarent, quàm ſacrificarent, intermiſſent & ruſus deſtruxiſſent eas. Eſt enim natura humana a deo corrupta, ut non admodum delectetur ijs, quæ pia, uera & reſta ſunt. Ad hanc obiectionem reſpondet Dominus per Oſeam. Scripsi (inquit) eis multiplices leges meas, quæ uelut alienæ computatæ ſunt. quaſi diceret. Eſt dies atq; noctes per Prophetas meos eis legem meam propono, atq; ex ea oſtendo, quod altaria, ſacrificia, & cultus eorum, coram oculis meis ſumma ſint abominatio, atq; ſumma Idololatria, tamẽ hiſ admonitionibus prorsus nihil hætenus moti, obduruerunt in ſuis ſuperſtitionibus. Et a deo legis mei obliſi ſunt, ut cùm audirent eam, uifi ſint ſibi audire nouam, atque hætenus inauditam doctrinam, dicentes inuicem, quid tibi uidetur de noua illa doctrina, quam afferunt noſtri Prophetæ? libenter ſcirem, quis nãm futurus ſit euentus eius. Vides obſtinatam Israelitarum mentem, Lex enim Dei, propter peruerſum ipſorum intellectum, pro noua iudicabatur doctrina, de qua hætenus nihil unquam extiſſet, ideo excuſari nullo modo poſſunt. ſidẽ prorsus ſunt mores noſtri. Sub Papatu enim abſq; omni doctrina & cognitione

Sub Papatu
- quæ do-
- ctrina uide-
- atur noua.

Euangelij de Chriſto, ita uiuimus, ut imperitis ferè omnia noua & inaudita uideantur, quæ ipſis nunc ex Euangelio proponunt. Vnde uocant Euangelij doctrinam nouam, & eos, qui Euange-
lium

lium adnunciant nouos prædicatores, quibus reb. manifestè suam produnt inscitiam, & indicant, q̄ nunquã rectè intellexerint Euāgelij doctrinā, etiamsi in ea sint educati. Fit ergo quia pro noua doctrina reputat̄, ut alius contēnat, alius blasphemet, alius ludibrio eā habeat, alius discat ex ea, neq; ueteri neq; nouæ doctrinæ credere, Alius persequat̄. Minima uerò pars, uerā fidem ex ea discat, atq; uitā suam iuxta eam instituat. Quod cū ita sit, quomodo nos excusare poterimus, q̄ Euangeliū Christi cōtemnamus & tāquam nouam atq; inauditam doctrinam rideamus? Procul dubio Deus ueterem pœnam suam, qua olim affecit Israelitas renouabit in nobis, neq; sinet hūc contemptū Euāgelij sui inultū.

Sequit̄. Hostias offerent &c. hoc est, tolerabile fortassis aliquo modo esset, si Dominus illa tantū sacrificia improbaret, & rejiceret, quæ sine uerbo suo hinc inde in excelsis syluis & uallib. atq; sub omni frondosā arbore, sub quercub. tilijs & alijs arboribus oblata hætenus sunt super aris illis, quæ in his locis extructæ fuerunt. Hoc autem deplorandum, q̄ etiam illa sacrificia quæ iussu diuinæ suæ legis offerunt̄ reprehendat, & in iudicio suo non respiciat. Ita. n. ait per Prophetam Oseam. Etsi hostias suas offerent, & carnes ad laudem & gloriam nominis mei, etiam secundū legem meam comedent, tñ non placebūt mihi, sed quia semel decreui me uisitatū & puniturū peccata eorū, ipsi aut̄ in Aegyptū abeant, quæsituri auxiliū, & non amplius recordent̄ sui creatoris & saluatoris. Insuper munitissimas ædificēt quoq;, non Israelitæ tantū, uerū etiam incolę regni Iuda urbes & arces, in quib. cōtra hostiū uim se tueant̄, ideo initio sacrificia & alia hypōcritica eorū opera, nō agnoscam. Deinde munitas ipsorū ciuitates & arces igni succendam, postremò edes quoq; eorū igni consumam, ut cognoscant re ipsa, q̄ uana confidentia eorū sit, qui relicto Deo suo, suis muris & munitiōib. confidunt. Quemadmodum igit̄ Oseas Israelitis auxilio antè exprobrauit auxilia Assyriorū, quib. contra uerbū Dei innitebant̄, Ita nūc reprehendit eos non tantū propter auxilia quæ in Aegypto quæsiuerūt, sed etiā propter munitas urbes & arces, quib. plus q̄ ipsi Deo fidebant. Hoc ipso docēs nos, q̄ illi ipsi qui deberēt tueri urbes & arces, autores sint de uastationis, & q̄ confidentia eorū in arces & urbes illę ipsæ bombardę sint, quib. expugnent̄ arces, & propugnacula. Tutī quidem esse in propugnaculis possunt, qui piē & rectè uiuunt, & in Dño

spem suam collocant. Sed impietas contra Dominum, puluis ille est Bombardicus, quo expugnantur, & deuastantur urbes. In omnibus igitur periculis ad Dominum confugiendum. Ipse enim arx firmissima est, in qua tuti contra ipsum Diabolum uiuere poterimus.

CAPVT IX.

NOLI LÆTARI ISRAEL, NOLI EXVLTARE SICVT POPVLI, QVIA FORNICATVS ES A DEO TVO, DILEXISTI MERCEDEM SVPER OMNES AREAS TRITICI. AREA ET TORCVLAR NON PASCET EOS, ET VINVM MENTIETVR EIS.

NON HABITABVNT IN TERRA DOMINI, REVERSVS EST EPHRAIM IN ÆGYPTVM, ET IN ASSYRIIS POLLVTVM COMEDIT.

NON LIBABVNT DOMINO VINVM, ET NON PLACEBVNT EI SACRIFICIA EORVM QVASI LVGENTIVM PANIS, OMNES QVI COMEDENT EVM, CONTAMINABVNTVR, QVIA PANIS EORVM ANIMÆ IPSORVM, NON INTRABVNT IN DOMVM DOMINI.

QVID FACIETIS IN DIE SOLENNI, IN DIE FESTIUITATIS DOMINI? ECCE ENIM PROPECTI SVNT A VASTITATE, ÆGYPTVS CONGREGABIT EOS: MEMPHIS SEPELIET EOS: DESIDERABILE ARGENTVM EORVM VRTICA HÆREDITABIT. LAPPA IN TABERNA CVLIS EORVM.

Pergit Oseas in denuncianda futura deuastatione Israelis, quæ postea à Salmanazare Rege Assyriorum facta est. Et quia ab initio huius capituli monet, ut ab insana sua lætitia desistant, facile conijcere possumus, statum Regni Israelis eo tempore, quo prædicauit Oseas, satis fœlicem fuisse, uel ob uictoriam Ierobeami filij Ioas, de qua quarto Regum decimoquarto: uel ob confirmatum & stabilitum Regnum per Phul Assyriorum Regem: uel (quod mihi uerissimilius uidetur) ob rerum omnium abundantiam, quia de frumenti abundantia eius temporis statim sequitur. Sic enim concionatur Oseas. Noli lætari ò Israel ad exultationem, sed abstine ab illo insano & beluino gaudio uulgi, quo in abundantia rerum exultare solet. Quod autem est uulgi gaudium, & quomodo sese gerit in abundantia rerum? Obliscitur Dei, securè uiuit, Non curat proximum, helluatur, die & nocte uorat, bibit, & prorsus insanam, & beluinam ducit uitam, Neque potest lætari nisi insanat, Atque adeo omnis disciplinae atque correctionis impatiens est: Quoties admonetur sobrietatis, & honestatis uitæ, clamat, Quid ad me sacrificuli? Quid ad ipsos, quòd labore meo durissi-

Valgi gau-
diū quale.

mo.

mo parta absumo, tamen ipsi nihil impendij mihi largiuntur. Conantur ex ciuitate Monasterium facere, Et si quæ sunt huius generis alia. Et omnino imitat̃ uulgus mores ciuium Zodomæ, de quibus Ezechiel ait. Hæc fuit iniquitas sororis tuæ Zodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia & ocium ipsius & filiarum eius. hoc est, ex abundantia rerum præcipites in omne genus impietatis ruebant. Quoties ipsos pius Loth ad honestatem uitæ hortabat̃, toties ipsi uicissim clamabant, Quis te constituit Iudicem super nos? atq; ipsius monitionib. adeo non mouebant̃, ut etiam fores eius noctu effringere conarent̃. Similiter uulgus in Aegypto, in septem fertilib. annis, quos Ioseph prædixerat, omnia absumebant & tanquã porci deuorabant, nullus erat finis helluationis, donec omnia essent absumpta. Etsi aut̃ Ioseph eos ad frugalitatē hortabat̃, & de septem alijs annis sterilib. concionabatur, tamen non curabant, sed Bacchanalia uiuebant, donec sterilitate & omnium rerum summa penuria obruerent̃.

Læticia insana & tumultuosa.

Quæ itaq; pœna insanam hanc & beluinam læticiam sequatur iam denunciât Oseas Israelitis hoc capite, dicens, Ne læteris neue exultes Israel sicut populi. hoc est, Cum omnia nunc uili pretio emantur, atq; reliquus status regni tui nunc sit, tuo quidem iudicio, saluus atq; incolumis, uideris tibi prorsus beatus, & ducis uitam insanam sicut uulgus solet, in rerum abundantia. Sed ego te fideliter hortor, & admoneo, ut ab hac tua insana & inhonestâ uita desistas. Etsi enim ex hoc fœlici rerum statu promittis tibi summū Dei fauorem, tamen infœlix te manet exitus. Quare? Quia fornicatus es à Domino Deo tuo, id est, relicto uero Deo, secutus es deos alienos, Abiectis etiam cultibus à Deo institutis & confirmatis finxisti tibi nouos contra mandatum Dei. Et (ut dicam, quod res est) quemadmodum adultera legitimum suum maritum relinquit, & amatori suo se adglutinat. Ita tu legitimum Dominum Deum tuum relinquis, & deficis ab eo, similisq; factus es meretrici, quæ corpus suū ad omnem fœditatem prostituit. In quibus aut̃ rebus hoc ab Israele factum est: Non opus est longa circumsp̃ctione. Inter alia, n. etiam hoc non minimum est, q̃ diligat mercedem super omnes areas tritici. hoc est, Quando Deus ex mera sua clementia dat ei uberem prouentū tritici & uini, nō adscribit diuinæ benedictioni, sed Idolis & propriæ suæ iusticiæ. Sic, n. secundo capite dixerunt, Merces hæc mea

est, quam dederunt mihi amatores mei. Hanc (inquam) mercedem, quam (suo quidem iudicio) amatoribus, hoc est, fictitijs suis cultibus acceptam ferunt, & quam colligunt copiose in omnibus suis horreis, adeo amant, ut cor suum prorsus ei apponant, sperentq; in ea se æternam deniq; uitam consecuturos. Cæterum de sectanda uera pietate ne tantillū quidem curant, sed acciperent uini & tritici copiam & manerent perpetuo hæretici. Et quia hoc anno præsentem copiosam collegerunt Messem, prorsus in ea acquiescunt, atq; existimant se nunc demum fœlices esse. Sed audite Domini iudicium, quod contra uos fert. Area (inquit) & torcular non pascent eos, & uinum mentietur eis. Hæc est pœna insanæ, tumultuosæ & impiæ læticiæ tempore abundantia omnium rerum, uidelicet caritas annonæ, siue sterilitas, quam Deus in Aegypto exemplo quoque declarauit. Nam cum Aegyptij tempore fertilitatis more porcorum omnia deuorarent, oppressi sunt tanta sterilitate, & fame, ut necesse haberent ad emenda alimenta non sua tantū pecora, agros, & omnia quæ possidebant, uerum etiam seipsos uendere Pharaoni. Iusta hæc est & naturalis pœna, qua insolentia uulgi coercetur, & humiliatur. Non dico hæc, ut occasionem dem impostoribus & auaris frumentarijs omnia coemendi & rursus uendendi frumenta maiori precio, quàm consuetum sit. Aut quod approbem oppressionem pauperum. Quemadmodum enim ingluuies, & prodigalitas uulgi Deo displicet, Ita quoq; frumentarij & impostores, & auari Deo non placent. Sed ideo hæc dicuntur, ut uideamus, quomodo iusto Dei iudicio fiat, ut prodigalitas uulgi, in ipsa rerū penuria per frumētarios & impostores puniatur & opprimatur: uicissim uero uulgi in impostores & auaros inuehatur, donec unus lupo alterum deuoret, & ambo ad infernum tandem abijciantur.

Læticiæ in
sanæ pœna.

Penuria rerum quomodo præuenienda in abundantia.

Cæterū facilimè præuenire possemus pœnam penuriæ in ipsa rerum abundantia. Primò, si in rerum uilitate, omnia cum gratia rerum actione, modestia, temperantia atque obedientia Dei sumeremus. In hac enim uilitate multo plus licet modestiæ studere, quàm tempore penuriæ, siquidem tunc mediocris particula panis plus cibatur, quàm in penuria (sicut experientia ipsa testatur) multæ partes. Deinde si diligenter promissiones de uictu animaduertueremus, & reponeremus, ut liceret tempo

re

re penuriae eas producere, eisq; nos ipsos in necessitate caritatis consolari. Postremò, ut quae superabundarent de benedictione Domini, partim distribuere in egenos, partim tanquam dona Dei reseruare in futurum usum, ad exemplum Ioseph in Aegypto, qui in septem fertilibus annis reposuit, ut tempore necessitatis & sterilitatis haberent unde uitam suam sustentarent. Nec est q̄ peccaremus in illud Euangelij, Nolite de crastino solliciti esse. Illic. n. impia & infidelis sollicitudo prohibita est, non pia in futurum frumenti aut aliarum rerum repositio. Christus ipse filius Dei cū cibasset quinque millia hominum, quinque panibus. & duob. pisciculis, mandat suis discipulis, ut diligenter colligant fragmenta, quae superfuerant his qui saturati fuerunt, collegeruntq; duo decim cophinos. Quo mandato manifestè significat, q̄ in abundantia rerum, ea quae supersunt diligenter colligi & ad futuros usus reseruari debeant. Non. n. Reseruatio & Repositio haec impia sollicitudo, sed pia & licita Reseruatio benedictionis diuinae dici debet. Et quid est abundantia & omnium rerum uilitas aliud, quam feudum Domini Dei nostri? Feudorum autem hic mos est, quòd tantisper concedantur hominibus. quantisper se rectè & honestè gerentes non abutuntur eis. Ita Deus largitur suam benedictionem & abundantiam rerum tantisper, quam diu nos homines piè & prudenter ea tanquam dono Dei utimur, & non inutiliter aut prodigaliter absumimus.

Sollicitudo alia pia
alia impia.

Abundantia feudum
Dei.

His (inquam) medijs possemus praeuenire famem & conseruare uilitatem rerum, sed quia haec media contempnimus, & totos dies noctesq; in conuiujs & comotationibus transigimus, cogimur frequenter post septem aut octo annos penuriam, & famem pati, neq; uidere possumus finem famis huius temporis, eo quòd nullus finis & modus conuiuiorum & comotationum apud nos sit.

Sed reuertamur ad Oseam. Ita. n. ait, Non solum deficient eos frumentum & uinum, sed serpet poena multò longius. Non enim habitabunt amplius in terra Domini, sed ex ipsa, hoc est, ex Regno Israel, quod hoc loco uocatur terra Domini, eo quòd à Domino singulari gratia populo Israel possidendum datum erat, proijcientur, partim in Aegyptum, partim in Aegyptum, ubi praemia cogentur uetitos, & abominabiles cibos edere, hoc est, contaminabuntur sordibus gentium. In Israel enim tantum

Munda &
imunda
quando uel
scantur.

munda comeduntur, apud gentes autem omnia propter Idolatriam sunt immunda. Vnde dicitur: Mundis omnia sunt munda. Immundis uerò & incredulis omnia sunt immunda, immunda enim eorum est conscientia, immundæ etiam sunt cogitationes eorum, Et quemadmodum Oseas hoc loco de Israelitis ait, quòd apud gentes cogantur uesci immūdis, ita Iuda quoque Psal. cxxxvij. conqueritur q̄ cogatur in terra aliena laudare Dominum, dicens: Quomodo cantabimus Domino canticum in terra aliena? quasi dicat. Si quis, quid mundi comedere, aut Dominum laudare uoluerit, non poterit sanè hoc efficere apud immundas gentes, sed oportet eum in Israel habitare. Qui uerò sunt illi qui habitant in terra Israel? Sunt hi qui credunt in filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum. Qui uerò Christo abnegato, contra uerbum Dei & uiuunt, & agunt, sunt qui ex terra Israel sunt abiecti. Quare quemadmodum illis omnia sunt munda & læta, Ita his omnia sunt immunda, & obruentur tandem omni genere tristitiæ atq; luctus.

Sacrificia
& libamina
cessaturæ.

Quid amplius accidet Israeli? Primum sacrificia eorum, & libamina cessabunt. In lege Mosi, Nume. xv. & xxvij. capitib. Iudeis præceptum erat, ut si quando uellent offerre holocausta aut alia spontanea sacrificia, inter alia uinum quoq; libarent Domino, in odorem suauitatis. Dicit ergo Moles Leuit. xxvj. Si ex aduerso ambulaueritis mihi, abominabitur uos anima mea, intantum, ut urbes uestras redigam in solitudinem, & deserta faciam in cœtuaria uestra, nec recipiam ultra odorem suauissimum. Quibus uerbis manifestè significat Deus, sibi displicere sacrificia impiorum, ideoque ea tanquam abominabilia non accepturum. Vnde Oseas inter alia supplicia, quæ accident Israelitis, etiam hoc commemorat, dicens, Non ultra libabunt Domino uinum, nec placebunt ei sacrificia eorum. Libabunt quidem & sacrificabunt, sed libamina & sacrificia eorum erunt tanquam panis lugentium, hoc est, polluentur potius suis sacrificijs, quam sanctificabuntur, neque placebunt Deo, sed quemadmodum Dominus pollutos funebus in lege abominabatur, ita abominabitur quoque posthac sacrificia Israelitarum. Ipsi quidem fortassis lætabuntur in eis, at Dominus prorsus abijciet à facie sua, neque respiciet. Breuiter, Sacrificia eorum aut peribunt, aut maledicentur.

Discamus

Discamus hoc loco, omnem externam pietatem, & iusticiam, incredulitate & inobedientia erga uerbum Domini contaminari, & coram Deo esse abominabilem, æternaq; damnatione dignam.

Deinde, Non tantum sacrificia, uerum etiam solennia eorum festa à Domino reijcientur. Ita enim inquit, Quid facietis in die solenni? Instituta quidem sunt festa ab ipso Deo, in læticiam, & ad recordationem maximorum beneficiorum, quæ olim contulit in maiores uestros. Sed, quia uos propter uestras iniquitates abijciemini in Exilium, & obruemini summa cordis tristitia, quid uobis proderunt hæc festa? Intermittite quæso uestra festa solennia, neque est quòd lætemini in eis. Quare? Quia terra uestra deuastabitur, & dispergemini inter gentes, & propter uastitatem cessabit omnis læticia uestra. Imò Aegyptus uos congregabit, & in Memphi, quæ Metropolis olim fuit Regni Aegypti, moriemini in Exilio, neque poteritis unquam redire in terram uestram. Tanta enim erit uastitas regni Israelis, ut ijs in locis ubi olim ædificatæ fuere domus deliciarum, quarum trabes & parietes obducti auro fuerunt, nunc urticæ & aliæ quædam herbæ inutiles crescant. Et ubi quondam Tentoria fixerunt uoluptatis gratia, ibi nunc crescant lappæ & spinæ.

Solennia
festa reijci-
untur.

VENERVNT DIES VISITATIONIS, VENERVNT DIES RETRIBUTIO-
NIS. SCITOTE ISRAEL STULTVM PROPHE TAM, INSANVM VL-
RVM SPIRITVALEM, PROPTER MVLTI TVDINEM INIQVITATIS
TVÆ, ET MVLTI TVDO AMENTIÆ.
SPECVLATOR EPHRAIM CVM DEO MEO, PROPHE TA LA-
QVEVS RVINÆ FACTVS EST SVPER OMNES VIAS EIVS. IN
SANIA IN DOMO DEI EIVS.
PROFVNDE PECCAVERVNT, SICVT IN DIEBVS GABBAA. RE-
CORDABITVR INIQVITATIS EORVM, ET VISITABIT PECCA-
TA EORVM.

Antea dixit futuram esse deuastationem Regni, Nunc dicit eam esse præ foribus. Venerunt (inquit) dies uisitacionis & tempus quo Deus peccata uestra uisitat appropinquat. Imminet iam iam hostis. Etsi uerò nunc pro more hominum impiorum (qui in nullum (ut dicitur) sanctum credunt, nisi edat aliquod signum) non creditis deuastationem in propinquo esse, tamen breui re ipsa uidebitis & sentietis.

Vt hæc mēlius intelligamus, cognoscendum erit quis eo

Status regni Iuda ante deuastationem eius.

tempore fuerit in regno Israel status ministerij prædicationis uerbi Dei, cognoscemus autem facile, si intueamur regnum Iuda. Nam paulò ante deuastationem huius regni, quæ facta est per Nebucadnezarem, Prophetæ quidem futurum malum, & deuastationem terræ omni qua potuerunt diligentia adnunciarunt, præsertim uerò Ieremias, multis uerbis & signis de desolatione est uaticinatus, sed his se opposuerunt omnib. ingenij uiribus Pseudoprophetæ, mendacij arguentes Ieremiæ & aliorum Prophetarum conciones, dicentesq; fieri non posse, ut Ierusalem capiatur & populus abducatur, si quidem non solum Templum Domini Ierosolymis esset extructum, uerum etiam Iudei essent populus ille, quem Deus peculiariter sibi præ omnib. nationib. terre elegisset. Vnde clamabant sicut Iere. ca. vij. testat, Templū Domini, Templū Domini. Et ca. viij. Pax, pax, cū non esset pax. Quo clamore Pseudoprophetæ uerorum Prophetarum concionibus aduersabantur, & populo spem faciebant securitatis, ne poenitentia studeret futuram calamitatem præuenire. Similiter igitur in regno Israelis paulò ante deuastationem quæ per Salmanassarem Regem Assyriorum facta est accidit, sicut ex Prophetæ Amos cap. ij. facile colligi potest. Nam cum ueri Prophetæ Oseas, Michæas, Amos, & nonnulli alij, quorum paruus erat numerus, unanimi sententia de deuastatione regni Israelis concionarentur, opposuit se illis totus grex Pseudoprophetarum, & Sacerdotum, docentes, non posse fieri, ut Regnum Israelis deuestetur & peregrinis gentibus detur, si quidem populus Israel sit à Deo electus, & hac Regione ab ipso donatus, ut expulsis gentibus semper in ea habitaret. Quomodo igitur contra donationem Dei, Gentes terram illam occupare, & Israelitas expellere possent? His igitur clamoribus, & falsis persuasionibus Pseudoprophetarum, populus seductus, non resipiscebatur, neq; mouebatur uaticinijs aut minis Prophetarum de impendente calamitate, sed potius sublannabat ueros Prophetas, uocans eos aut stultos aut insanos. Vnde hoc loco Oseas ait: Scitote Israel stultum Prophetam, & insanum uirum spiritualem. Quæ uerba primo quidem sic intelligi possunt. Veri, & Spiritu sancto præditi Prophetæ in Israel ab insano populo contemnuntur & ueluti insani iudicantur, partim quia de futura deuastatione concionantur, partim uerò quòd reliqui omnes Prophetæ, & Sacerdo

tes eis resistunt. Deinde uerò & melius (meo quidem iudicio) sic exponi & explicari possunt. Tempus uisitationis in propinquum est. Et sentiet Israel re ipsa deuastationem suam, eo quòd ueris Prophetis Spiritu sancto præditis, quorum paruus est numerus, noluerunt credere. Reliqui autem omnes Prophetæ, sacerdotes & spirituales uiri, quibus ipsi fidem adhibent, facti sunt mendaces, seductores, stulti & insani. Nam pollicentur quidem eis pacem, sed ecce bellum est. Promittunt ipsis securitatem propter fictitios cultus, sed tandem à Satana abripiuntur in æternum exitium. Quia enim à Domino Deo nostro & uerbo eius defecerunt, Ideo uicissim percussit eos amentia & cæcitate ac furore mentis, ut palpent in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris. Sed cur (inquis) hi facti sunt insani & stulti, Mendaces, & seductores? Causam adjicit Propheta dicens, Propter multitudinem iniquitatis & cæcitate siue amentie tuæ, hoc est, quia insanus es populus, ideo habes insanos Prophetas. Et quia cæcus es, ideo à cæcis duceris. Neque est, quod culpam seductionis tuæ transferas in sacrificulos & pseudopphetas tuos. Multitudo enim iniquitatis tuæ principalis causa est, propter quam Deus immittit errores, & deceptiones. Quod aliàs quoq; comprobatur, uidelicet iij. Regum ultimo.

Insani & mendaces Prophetæ qui.

Decipiebatur olim Rex uester Achab, & peribat in bello, eo quòd Deus misisset spiritum mendacem in os omnium Prophetarum eius. Dicite ergo mihi, An culpa deceptionis & perditionis ipsius Achab Regis uestri, fuerit in Prophetis, an in ipso Achab? Certè si quod uerum est, respondere uolueritis, oportet ut dicatis, prophetas propter Achabum deceptos fuisse, Achab enim fuit Idololatra, impius atque nebulosus & in cunctis, Propter multitudinem ergo iniquitatum suarum deceptus fuit à Prophetis suis.

Prophetæ Achab mendaces.

Huc pertinet, quòd Ezechiel quoq; capite xiiij. ait. Hæc dicit Dominus, Homo de domo Israel, qui posuerit immunditias suas in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, & uenerit ad Prophetam interrogans per eum me. Ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum, ut capiatur domus Israel in corde suo, quo recesserunt à me in cunctis Idolis suis. Et iterum. Propheta cum errauerit & locutus fuerit uerbum, Ego Dominus decepi Prophetam

Iniquitas populi causa seductionis.

illum &c. Manifestè ergo apparet, iniquitatem populi causam esse seductionis, & perditionis.

Atq; hoc loco uidemus causam, ob quam sub Papatu populus deceptus fuerit, & cur errores efficaces tam altas egerint radices. Non enim potest culpa tantum transferri in sacrificulos, sed potissimum in peccata & iniquitates populi transferri debet. Sacrificuli enim propter iniquitatē populi dati sunt in reprobam mentem, & quia ipse populus uerbum, & ueros cultus diuinos fastidiuit, neq; admonitionibus ullis ad obedientiam flecti potuit, ideo amentia & cæcitate à Deo percussus fuit.

Errorum
nostro tem-
pore causa.

Eadem causa etiam hoc nostro tempore, quo diuino beneficio Euangelium de Christo filio Dei prædicatur, tot errores, & hæreses de baptismo, & cœna Domini oriuntur. Non enim in solos hæreticos reijci culpa potest, sed iniquitas, & ingratitude illa summa, quam erga Euangelij prædicationem populus exercet, causa est tot errorum atque hæresium, iuxta illud Pauli, Quia charitatem ueritatis non receperunt, ut salui fierent, ideo mittet Deus illis operationem erroris, ut credant mendacio, &c.

Speculato-
rem seip-
sum facere

Sequitur alia causa, propter quam Israel à Pseudopropheta & sacerdotibus seductus est. Quia Ephraim (inquit) speculator cum Deo meo. hoc est, seipsum pro speculatore, Episcopo, prædicatore, doctore, propheta, & sacerdote elegit. Ideo factus est seductor, & mendax, & doctrina eius laqueus ruinæ. Nam sicut uentores laqueis & retibus suis feras capiunt & interficiunt, ita Ephraim, qui seipsum pro Episcopo elegit, sua doctrina solet irretire homines ut simul corpore & anima pereant, atque adeo in suis templis aliud nihil præter insanam Idololatriam instituunt. Quid enim aliud facerent, hi qui seipsos eligunt contra mandatum Dei? Nam cum diuiso regno Ierobeam filius Nebath, decem tribus occupasset, atq; ab eis in Regem electus esset, elegit initio sacerdotes, non iuxta ordinem Dei, de filiis Leui, sed de extremis & infimis populi. Deinde successores eius eligebant ex seipsis Prophetas Baaliticos, & tales qui impietatem eorum approbarent, neq; dabatur ullus locus ueris sacerdotibus & Prophetis. Quia igitur reges sibimet Episcopos eligebant, & uilissimis hominibus sacerdotia conferebant, factum est iustissimo Dei iudicio, ut ab ipsis in perniciem & exitium ducerentur. Sic enim cedere solet, cū priuata libidine homines contra ordinationem diui-

Ierobeam.

nam

nam sacra instituunt, & administrant. Propter hoc inquit Oleeas
 profundè peccauerunt & seiplos perdidierunt, sicut olim ciues ^{Ciues in}
 in Gibeā, de qua historia lege Iudicum ca. xix. Nam quemadmo ^{Gibeā.}
 dum in Gibeā, ciues horrendum scelus cum uxore Leuitæ, qui
 ad ipsos diuerterat, admiserant, quod cum Beniamitæ (ut par e-
 rat) ulcisci debuissent, excusabant, iustificabant, & summis uiri-
 bus Gibeonitas defendebant. Et si autem initio foeliciter contra
 reliquos Israelitas pugnabant, tamen uel tandem ita fusi fugati
 sunt, ut de omni numero Beniamitarum sexcenti tantum super
 fuerint. Ita Israelitæ designent ingentia flagitia. Non enim tantū
 peccant eligendo sibi Pseudopphetas & doctores, quos Lex
 Dei iubet lapidibus obruere. Verum etiam quod impios suos
 doctores iustificent & summis uiribus defendant, quemadmo
 dum quondam Beniamitæ, ueros autem Prophetas occidat. E-
 rit igitur tempus quo peribunt, sicut olim Beniamitæ paucis re-
 manentibus. Ex hoc loco discendum est, non tam malum esse ^{Peccatum}
 peccare, quàm peccatum iustificare & defendere. Ad peccata e- ^{iustificare,}
 nim solet Deus conuiuere, eaq; propter Christum condonare,
 sed peccare, & uelle peccatum iustificare, est sicut hoc loco dici-
 tur, Profundè peccare, In Euangelio uocatur peccatum in Spiri-
 tum sanctum, quod sit irremissibile. Et apud Ioannem dicitur
 peccatum ad mortem, pro quo non sit orandum.

TANQVAM VVAS IN DESERTO INVENI ISRAEL, QVASI PRIMA
 POMA FICVLNEÆ IN CACVMINE, VIDI PATRES EORVM, IPSI AV-
 TEM INTRAVERVNT AD BEELPHEGOR, ET AB ALIENATI SVNT
 IN CONFVSIONEM, ET FACTI SVNT ABOMINABILES SICVT EA
 QVÆ DILEXERVNT.
 EPHRAIM QVASI AVIS AVOLAVIT. GLORIA EORVM A PARTV ET
 AB VTERO ET A CONCEPTV.
 QVOD ETSI ENVTRIERINT FILIOS SVOS, ABSQVE LIBERIS FACI-
 AM EOS IN HOMINIBVS, ET VÆ EIS CVM RECESSERO AB EIS.
 EPHRAIM VT VIDI, SOR ERAT FVNDATA IN PVLCHRITVDINE,
 ET EPHRAIM EDVCET AD INTERFECTOREM FILIOS SVOS.

Quemadmodum spiritus sanctus apud Esaiam cap. v. de Iu-
 daeis conquerit, dicens: Vineā facta est dilecto & patrueli meo,
 in cornu filio olei, & sepiuit eam, & lapides elegit ex illa, & planta-
 uit uineam electā, & ædificauit Turrim in medio eius. Et torcu- ^{Vinea Do-}
 lar extruxit in ea, & expectauit, ut faceret uuas, & fecit labruscas. ^{mini do-}
 Quæ autem sit uinea illa, mox sequitur. Ita enim ait, Vineā Do- ^{mus Israel.}
 mini exercituū, Domus Israel est. Ita hoc loco Deus per Prophe-

Israëliarū
patres in
deserto
quales.

tam de Israelitis quoq; conqueritur, dicens, tanquam uuas in deserto inueni Israel, quasi diceret. Cur ego inuanū laboro, & quero iusticiam in filijs Israel, cum iam inde ab initio à patribus eorum nihil boni colligere potuerim? Etenim plantaui domum Israel mihi in uineam, & expectaui uuas, sed tempore autumnu inueni labruscas. Quæsiui in filijs Israel tanquam in ficu, amœnas & dulces fructus, sed ecce inueni immaturas & intempestiuas ficus, quarū nullus usus esse potest. Foliorum quidem multum, at ficorum parum reperi. Non igitur mirū est, si neq; in libens bonos fructus inueniam. Audi quæso, quid patres eorum cum adhuc in deserto essent, cōmiserint? Statim enim postquam ex Aegypto eos eduxissem in desertum, in ceperunt scortari, quemadmodum Numeri cap. xxv. scribitur. Israel (inquit Moses) habitabat in Setim, & populus fornicatus est cum filiabus Moab, quæ uocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adoraerunt deos eorum, initiatusq; est Israel Beel Phegor. Quis non miretur hanc impietatem? Obliti enim omnium beneficiorum quæ acceperant, & miraculorum quæ recens uiderant in Aegypto, & in deserto, dereliquerunt Deum, adhærentes Idolo Moabitarum, sed magno suo malo, atq; confusione summa. Maxima enim seueritate & confusione unā cum suis scortis Moabiticis quibus adhæsisserunt, puniti sunt. Et ceciderunt unā die propter hanc Idololatriam, uiginti quatuor millia Israëliarū, & præceperat Dominus, ut Israëlitæ reliqui percuterent Madianitas, & hostiliter contra eos agerent. Similiter igitur omnes perierunt propter fornicationem & Idololatriam. Cū itaq; patres ab initio tam impiè se gesserint erga Deum, quid boni de filijs & posteris eorum sperandum erit? Non enim feroces Aquilæ puidas procreant columbas, & uetus dictum est, Mali corui malum ouum.

Peccatum
à parentibus
commissum
cur expro-
bretur li-
boris.

Sed qui fit, quòd peccatum à parentibus in deserto admissum, exprobetur, post septingentos ferè annos, liberis? tamen Deus aliàs ueterum delictorum non solet recordari, nedum ea punire? Respondeo. Non recordatur quidem Deus peccatorū parentum, neq; punit ea in posteris, Quando scilicet posteri resipiscunt & non imitantur iniquitatem maiorum suorum. Quando uerò filius Patris iniquitatem imitatur, aut posteris maioribus suis in sceleribus similes fiunt, tunc Deus recordatur omnium

num

nium scelerum & iniquitatum maiorum, easque in posteris uifitat feuerissimè. Ita enim Christus ad Phariseos maiorum suorum crudelitatem in persecuendis pijs imitantes, ait Matthæi uigesimo tertio: Ecce mitto ad uos Prophetas & Sapientes & Scribas, & ex illis occidatis, & crucifigatis, & ex eis flagellabitis in Synagogis uestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem, ut ueniat super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti, usque ad sanguinem Zachariæ, &c. Et Iosua capite uigesimo secundo: An parum uobis est (inquit) quòd peccastis in Beel Phegor, & usque in hodiernum diem macula huius sceleris in uobis manet? Ex quibus manifestè uidemus, Deum tam diu recordari iniquitatum, quam diu non respiscimus, aut ei iterum per Iesum Christum filium suum reconciliamur.

Habes querelam Dei, de impietate Israelitarum. Sed an non iustissimè etiam de nostris sceleribus conqueri Deus potest? Maiores enim nostri fuere partim Ethnici, partim uerò Papistæ. Illi Idola, hi uero Antichristum & opera manuum suarum adorarunt. Quid igitur putas Deum in nobis posteris boni inuenturum? Reuelauit quidem clementer Euangelium, hoc consilio, ut suo tempore de uinea sua, quæ est Ecclesia, possit uuas colligere, sed uix labruscas inuenit. Alius enim ex prædicatione Euangelij induratur, alius fit peior, alius utitur ea ad licentiam & libidinem suam, alius irridet, alius persequitur. Et quis tandem finis, aut modus est nostrorum scelerum? Quid igitur dicat Deus? Quid aliud diceret, quàm quod de Israelitis est conquestus. Quid mihi boni de his hominibus polliceri possum, quorum maiores partim Ethnici, partim uerò Papistæ fuere? Omnia (ut dicitur) idem puluis. Et sunt maiorum coruorum mala oua. Atque uerè in eos quadrat, quod dicitur: Ab impijs egreditur iniquitas. Sed nos terque quaterque insanos atque infelices, nisi ex malis Israelitarum fiamus cauti, & conemur per Resipiscenciam præuenire calamitates, quæ non tam propter maiorum nostrorum, quàm nostra ipsorum peccata & scelera, nostris ceruicibus impendent. Ita enim Dominus hoc loco minatur Israelitis. Et sanè has minas postea re ipsa impleuit, dicens: Gloria Ephraim tanquam auis auobit à partu, & ab utero, & à conceptione. Sed quæ est illa

Maiores, & posteriores eorum quales apud nos.

Ecclesia, triueina Domini, quos proferat fructus.

Gloria Ephraim auis auobit à partu, & ab utero, & à conceptione.

Gloria: Est promissio de multiplicatione seminis, quæ olim facta est ipsi Abraham, ita enim ait Dominus ad Abraham: Multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, & sicut arenam maris. Et Salomon Prouerb. xvij. Corona senum, filij filiorum, & gloria filiorum patres eorum. Hanc igitur gloriam dicit Dominus se ablatum propter iniquitatem, dicens, Gloria Ephraim, hoc est, dissipabitur multitudo Ephraim, & euanescet, quemadmodum auis, quæ demissa è manibus nusquam amplius comparet. Primò. n. etsi matres concipiunt, tamen semen suffocabitur. Deinde cum iam grauidæ fuerint, interficiam fœtum in utero. Adhæc quâdo iam in lucem æditi fuerint liberi, statim abripiuntur iterum morte. Postremò, & si educauerint liberos suos, tamen faciam ex eis orphanos, parentibus interfectis. Breuiter (inquit Dominus) uæ illis ubi recessero ab eis: maledicentur enim & corpore & anima, neq; utentur posthac fortuna aliqua prospera. Quomodo autem (inquis) recedit Dominus ab Israelitis? Non recedit quantum ad suam substantiam & omnipotentiam attinet, hac enim adest omnibus creaturis, eosq; implet: sed Recedere dicit, quando aufert uerbum suum. Ablato autem uerbo, nulla manet fides. Fides enim, ut Paulus ait, est ex auditu, auditus autem ex uerbo Dei. Vbi autem nulla est fides, ibi nulla Remissio peccatorum, Vbi non est Remissio peccatorum, ibi nulla est clementia & misericordia Dei: ubi nulla misericordia Dei, ibi omnis ira, indignatio, pœna, miseria, & æterna damnatio. Minatur ergo hoc loco Deus grauisissimam atq; extremam pœnam. Quando enim recedit, aufert secum omnem benedictionem, & fauorem, ita ut nihil spei aut salutis relinquatur.

Sequitur, Ephraim (ut uidi) Sor erat plantata in pulchritudine, & tamen educet ad mactationem liberos suos. Zor alio nomine uocatur Tyrus, quæ est contermina Israeli. Etsi autem sola Tyrus hoc loco nominatur, tamen (meo quidem iudicio) sub ea intelliguntur omnes uicinæ Gentes. Vt sit sensus. Hactenus Dominus, populum Israel, uineam suam, multo diligentius & splendidius ædificauit, quàm aliarum uicinarum Gentium. Multiplicauit enim Israelitas sicut stellas cæli, & fecit eos excellentiores cunctis Gentibus. Sed quia abutuntur hisce donis contra Dominum Deum suum, & nulla est spes Resipiscentiæ relicta, reddentur calamitosissimi, & miserabiliores.

Dominus
quomodo
dicatur re-
cedere.

miserabiliores cunctis Gentibus. Adhæc, & si nunc multiplicati sunt, tamen redigentur in paucitatem ab hostibus suis, qui eos sunt interfectori. Nunc quia magnus eorum est numerus, magna & plurima designant peccata. Sed ecce ego tradam liberos eorum hostibus mactandos, ut illis in paucitatem redactis, pauca posthac perpetrentur scelera. Nam ubi multitudo hominum, ibi quoq; multitudo scelerum est.

Sunt qui hunc textum aliter interpretantur, Videlicet, Ephraim, (ut uideo) unà cum suis liberis ad miseriam plantabitur, & educabit liberos suos interfectoribus. Non improbo quidem hanc interpretationem, idem enim ferè sensus est cum superiori. Nempe quòd Regnum Israelis subinde maioribus miserijs & calamitatibus sit obruendum, ita ut parentes cum liberis, & liberi cum parentibus sint interficiendi, & ad paucitatem miram redigendi. Attamen, ut constet hic sensus, tunc pro Zoar (quæ aliàs Tyrus dicitur) miseria uel calamitas. Et pro pulchritudine, Angustia, uel Querela, legendum erit. Nam Hebræum uocabulum Nahu, quod à Nahah deriuatur, bene ferre potest.

DA EIS DOMINE, QUID DABIS EIS? DA EIS VVLVAM
SINE LIBERIS, ET VBERA ARENTIA.

Quia Propheta prædixit fore, ut filij nati absque parentibus fierent, & à parentibus ad interfectores adducerentur, uidetur nunc compatiendo orare, ut Dominus det matribus sterilem uulvam, & arentia ubera, ut, cum omnino decretum sit, filios esse interficiendos, id saltem solatij habeant parentes, quòd nullos genuerint liberos, Sicut & Christus in Euangelio dicit, Beatæ steriles, & uentres, qui non genuerunt, & ubera quæ non lactauerunt, quia uæ prægnantibus & lactantibus in diebus illis. Scimus inter Benedictiones Dei, hanc non esse ultimam, si nascat multa soboles, Et omnium rerum uberrimus sit proventus. Sed tempore afflictionis, Benedictio illa mutatur in maledictionem. Ita ut quo quæ est sterilior, eò etiam sit beatiore. Et quo quæ est pauperior, eo sit fortunatior. Sed quia Propheta antea dixit Israelem profundè peccasse, sicut in diebus Gibeæ, atque adeo peccatum in Spiritum sanctum commisisse, pro quo non est orandum, Accedit huc, quòd & præcedentia & sequentia huius loci Iræ

Sterilitas
benedicitur.

Sterilitas
impreca-
tur.

plena sunt, Ideo non puto, spiritum Prophetæ ullam cum scele-
ratis compatiendam habere, sed quemadmodum grauissima
quæque supplicia minatur, Ita etiam contra eos orat, ut maledi-
cantur & sterilefiant. In lege enim Deuter. vij. dicitur, si audieris
hæc iudicia & feceris ea, non erit apud te sterilis utriusque sexus
tam in hominibus quam in gregibus tuis. Impij quidem & in-
creduli homines multitudinem sobolis pro maledictione ha-
bent, uerentur enim ne possint liberos alere. Incredulitas enim
homines non tantum à uerbo Dei, sed etiam ab ipsa ratione di-
stante copiosam prolem esse benedictionem Dei, abducit. Cū
autem Israelitæ iudicia Dei non fecissent, imprecatur eis Prophe-
ta sterilitatem, dicens, Da eis Dñe. Et pedem referens quasi quid-
dam cōtra charitatem proximi oraturus, substitit, interrogando
mentem colligens, Num zelus suus iuxta scientiam sit. Quærit e-
nim. Quid dabis eis Domine? quasi dicat, proposui me populū
maledicturū. Sed quia maledictio aliàs grauissimum peccatum
est, ac planè contra proximi charitatem, ideo priusquam erum-
pam in uocem, delibero num pius sit zelus meus, quo aduer-
sus peccata Israelitarum feror. Iam quia sentio pium, & iustum
esse, ideo pergo. O bone Deus quàm uellem populo & audito-
ribus meis bona precari, atq; periculo uitæ meæ ipsis prodesse,
imò cuperem anathema esse pro populo, & de libro ui-
uentium deleri, ut ipse inscriberetur. Sed quid faciam? Velim no-
lim cogor ipsis maledicere, & dirissima quæque imprecari, præ-
fractè enim agunt contra legem Domini, & sunt nebulones in-
tus & incute, nullas admittunt exhortationes, adeoq; opera &
oleum in eis pereunt. Da ergo eis Domine uulvam sterilem &
ubera arentia. hoc est, maledicti sint, ut non gignant filios, sed o-
mnino pereant.

Impreca-
tio quomo-
do conue-
niat cum
præcepto
Dei.

Quomodo autem hæc imprecatio conuenit cum lege &
præcepto Dei, quo iubemur omnibus precari bona, etiam ini-
micissimis? An non Paulus nos monet, ut ante omnia fiant de-
precationes, obsecrationes, interpellationes & gratiarum actio-
nes pro omnibus hominibus? Respondeo. Hæc præcepta, Be-
ne precemini deuouentibus uos. Et, Fiant obsecrationes pro
omnibus hominibus &c. sunt generalia, & indiscriminatim o-
mnibus obseruanda proposita, Sicut illa, Non occidas, Non
furaberis. Quemadmodum autem nonnulli uel officio
Magistra-

Magistratus, uel singulari aliquo Dei mandato & iudicio ab hac Lege, Non occidas, eximuntur, ita ut non peccent, etiamsi iuxta mandatum Dei alios occidant, quemadmodum Moses, Phineas, Samuel, Dauid, & hi, qui legitimo Magistratu funguntur, modò ut sint certi de sua uocatione, & de uoluntate diuina. Ita nonnulli ex hoc mandato, Bene precemini de uouentibus uos &c. excipiuntur singulari quodam uerbo & præcepto Dei, ita ut malè alijs precando, non peccent. Sic Noë maledixit Cham filio suo: Sic Moses maledixit, & orauit contra Dathan, Chore & Abyron. Sic Dauid orauit contra persecutores suos, ut uides in Psalm. cix. Sic præcipitur Ieremiæ, ut non oret pro populo Iuda. Etenim hi omnes instinctu Spiritus sancti ex uerbo Dei cognouerunt iudicium & sententiam Dei contra Impios. Oportuit ergo eos hanc Dei sententiam tanquam Iudices, nomine Dei impijs, & præfraetis peccatoribus annunciare. Ita hoc loco Oseas instinctu Spiritus sancti cognoscit, & uidet suos Israelitas peccare in Spiritum sanctum. Officij ergo eius fuit, iudicium & sententiam Dei, contra hoc peccatum eis indicare. Imprecatur autem eis sterilitatem externam. Et sub nomine huius sterilitatis clam respicit in æternam corporis & animæ perditionem.

OMNES NEQUITIÆ EORVM IN GILGAL, QVIA IBI EXOS HABVI EOS, PROPTER MALITIAM ADINVENTIONVM EORVM. DE DOMO MEÀ EHCIAM EOS, NON ADDAM VT DILIGAM EOS, OMNES PRINCIPES EORVM RECEDENTES. PERCVSSVS EST EPHRAIM, RADIX EORVM EXICCATA EST, FRVCTVM NEQVAQVAM FACIENT, QVOD ETSI GENVERINT INTERFICIAM AMANTISSIMA VTERI EORVM. ABIICIET EOS DEVS MEVS, QVIA NON AVDIERVNT EVM, ET ERVNT VAGI IN NATIONIBVS.

Quid sit Gilgal, suprà capite quarto dictum est. In illo enim ^{Gilgal.} loco instituti fuerant multi præclarissimi cultus diuini, & existimabant Israelitæ se peractis huius summum præstitisse cultum Deo, & consecutos esse summam iusticiam, atque adeo se prorsus angelis similes esse. Ecce autem Dominus Deus noster prorsus inuertit, & ait, Omnes nequitia eorum in Gilgal, quia ibi exos eos habui. hoc est, existimant Israelitæ se nusquam iustiores esse, quàm cum peragunt sua sacra in Gilgal. At ego dico

ingenuè, eos nusquam esse iniustiores & nequiores, quàm illo in loco. Sperant quidem se cultibus eius loci impetraturos fauorem & gratiam Dei. Sed dicam quod res est, nusquam Deum magis ad iram & indignationem prouocant. Quemadmodum enim Papistæ uidentur sibi sanctissimi iustissimiq̃ue, cum audiunt suas Missas, & sperant Deum nusquam esse magis propiciam quàm apud sacrificium Missæ, cum tamen sint iniustissimi, & Deus nusquam longius gratia & fauore suo ab eis recedat, quàm in Missa. Ita Israelitæ in peragendis suis cultibus, quos exemplo maiorum suorum in Gilgal instituerant, facti sunt iniustissimi, etiam si uiderentur sibi iustissimi. Primum enim cultibus illis præuocabantur Legem Domini, qua omnes illi cultus qui extra Ierusalem instituebantur, & peragebantur erant prohibiti. Deinde cum Prophetæ ex uerbo Domini manifestissimè ostenderent, fictitios suos cultus esse Idololatricos, non abiecerunt, sed perstiterunt in sua sententia, & ita facies suas indurauerunt, ut & Prophetas persequerentur, & cultus suos fictitios contra uerbum Domini, perfrieta fronte iustificarent, atque adeo summis uiribus defenderent. Atq; hoc est profundè, & (si scienter fiat) in spiritum sanctum peccare. Quam igitur pœnam Deus pro tanto scelere infliget? Sequitur, Propter maliciam adinventionum suarum eijciam eos ex domo mea, hoc est, priuabo eos omnibus beneficijs, quibus olim eos affeceram. Et eijciam eos ex terra, quam possidendam eis tradideram, ita ut non amplius domestici mei sed prorsus alieni, uagi & errabundi sint futuri, neq; amplius ullo uel fauore, uel gratia eos complectar. Corporaliter quidem hæc in Israele impleta sunt sub Salmansare Rege Assyriorum, quemadmodum testatur scriptura. Significatur autem hoc loco nobis, quod hi, qui in spiritum sanctum peccant, (sicut olim Israelitæ) perpetuò reijciendos esse ex numero populi Dei, & (quia nolunt peccata sua agnoscere, sed potius ea uolunt iustificare) nunquam peccatorum suorum ueniam consecuturos, quemadmodum Christus ait Matthæi duodecimo. Qui conuictum dicit in filium hominis, huic remittetur. Qui uerò in spiritum sanctum, huic nec in hoc seculo, nec in futuro remittetur. Et reus est eterne condemnationis.

Peccantes
in spiritu
sanctum.

Israelis re-
ges omnes
impij.

Ut autem sciatur quis sit autor scelerum in Israel, Oseas palam ostendit dicens: Omnes Principes eorum desertores. A
primo

primo enim Rege Israelis Ierobeamo, usq; ad ultimum Regem Hosesam filium Ela, omnes fuerunt impij, & non tantum Idololatria, uerum etiam externis, & notorijis sceleribus contaminati. Ab his igitur deriuata est defectio à Deo, & omnis iniquitas, tanquam à capite ad membra, in subditos. Vulgò enim dicitur, Ni caput sanum est uitiatur reliqua membra. Quia igitur Princeps & subditi alter alteri autor est peccati, erit etiam alter alteri dux ad Satanam & infernum, & quia simul peccant, iustè simul plectentur.

Quid ergo amplius? Ephraim, siue Israel olim erat arbor fructuosa, dulces ferens fructus. Iam uerò (inquit Oseas) est arbor putrida, & erosa à uermibus, siue (iuxta Hebraicam phrasim) percussa, cuius radix exaruit, ut nullos amplius ferre possit fructus. Quemadmodum igitur arbor à uermibus erosa nullos fert fructus. Ita Israel, quia à uermibus peccatorum & iniquitatum erosus, & percussus est, prorsus exarescet, ita ut non solum nulli fructus, uerum etiam, ne folia quidem in eo nascantur. hoc est, Etiam si genuerint filios, tamen ad maturitatem non peruenient, sed ab hostibus interficientur. Repetitio est, ad confirmationem superiorum, quæ de sterilitate prædixerat.

Breuitè, Abijciet eos Deus meus, ita ut uagi sint inter omnes gentes, & nationes, sicut est dies hæc. Nam ab eo tempore, quo à Salmanazate deuastati sunt; usq; in hunc diem uagantur incertis sedibus, ut omnes populi ueritatem diuinarum minarum ob oculos positam habeant, & discant in timore Dei ambulare. Quare autem Israelitis hoc cecidit? Quia, inquit, nõ auerunt Deum. hoc est, maluerunt sequi suas cogitationes & adinventiones quàm uerbum Dei. Ideo abijciet eos Deus, ut fiant (quemadmodum Moses ait) omnibus nationibus & gentibus parabola & fabula. Studiosè ergo nos obsequamur uerbo Dei, ne similiter abijciamur.

CAPVT X.

VITIS FRONDOSA ISRAEL, FRUCTVS ADÆQVATVS EST EI. SECVNDVM MVLTIPLVDINEM FRUCTVS SVI MVLTIPLICAVIT ALTARIA. IVXTA VBERTATEM TERRÆ SVÆ, EXVBERAVIT SIMVLACHRIS. DIVISVM EST COR EORVM, NVNC INTERIBVNT, IPSE CONFRINGET SIMVLACHRA EORVM, DEPOPVLABITVR ARAS EORVM.

QVIA NVNC DICENT, NON EST REX NOBIS, NON ENIM
 TIMEMVS DOMINVM, ET REX QVID FACIET NOBIS?
 LOQVIMINI VERBA VISIONIS INVTLIS, ET FERIETIS FOE
 DVVS CVM MENDACIO ET GERMINABIT QVASI AMARITVDO
 IVDICIVM SVPER SVLCOS AGRI.

Osee Prophetæ perpetua lis, & contentio est cum suis Israe-
 litis propter peccata & iniquitates eorum. Iterum enim expro-
 brat eis ingratitudinem, qua immensis & innumerabilibus be-
 neficijs clementia, & bonitate Dei abutebantur. Ac si diceret. Vi-
 dete quæso, quantis uos beneficijs Deus affecerit. Israel. n. factus
 est, quasi uitis frondosa, quæ ut patulos & latos produxit palmit-
 es, sic etiam magnos & multos protulit botros, hoc est, Israel fa-
 ctus est præclarissimus & præ multitudine innumerabilis po-
 pulus, præterea possidet terram lacte & melle fluentem, hoc est,
 fertilissimam. Quomodo autem hac sua prospera fortuna u-
 tuntur? Iniquissimè. Nam quo plures colligebant è fertili suo so-
 lo fructus, eo plura fictitia sacrificia (citra uerbum Dei instituta)
 Idolis suis ex fructibus obtulerunt. Adhæc adscripserunt ferti-
 litatem & uberem omnium fructuum prouentum, non bo-
 nitati & benedictioni Dei, neque subuenerunt ea inopiæ pau-
 perum, sed potius fictitijs suis cultibus acceptam ferebant, & ad
 conseruanda sacra sua contribuebant: partim enim ad institu-
 da sacrificia noua sub quercubus frondosis elargiebantur, par-
 tim uerò, ad uetera sacrificia Camarim, & aureorum uitulorum
 in Dan, & Bethel, conseruanda conferebant. Sicut apud Chri-
 stianos Papisticos, omnia bona hæctenus ad instituendas & con-
 seruandas Missas Anniuersarias, horas Canonicas, Peregrinatio-
 nes & ad Monasteria in fertioribus & amœnioribus locis ædifi-
 canda conferebantur.

Cognitio
 peccati.

Ad quid autem hæc exprobratio prodest? Primò con-
 ducit ad cognitionem peccati, per quam deinceps perue-
 nitur ad ueram iustificationem. Est enim cognitio peccati
 primus gradus ad iustificationem. Deinde, ut cognoscamus,
 non esse uirium humanarum, ut huius uitæ commodis rectè,
 & legitimè utamur: subinde enim ex ijs deteriores reddimur.
 Omnes quidem optamus dies habere bonos, & existima-
 mus nos longè iustiores fore, si omnia iuxta animi nostri sen-
 tentiam succederent, quàm si uarijs calamitatibus subijcere-
 mur.

mur. Sed quòd hac persuasione, & spe nostra fallamur, docet non tam præsentis loci exemplum, quàm totius Sacræ scripturæ testimonium. Vide mihi quæso Dauidem. Is enim cùm ab inimicis suis pateretur persecutionem, & nusquam locorum tuus esset, fuit pijsissimus. At ubi iam ex periculis esset liberatus, & in Regno suo summa fœlicitate frueretur, factus est Adulter & Homicida. Ecce hic non erat tantum Rex sanctus, uerum etiam Propheta, & tamen pedes eius mundanam fœlicitatem ferre non potuerunt.

Secundæ
res reddūt
nos info-
lentes.

Ostias Rex Iudæ, sanctitate pollet, donec ab hostibus suis affigitur, liberatus autem omni metu hostium, incipit contra Legem Domini peccare. Si hoc loco Oseas Israelitis exprobrat, quòd ex fœlicitate huius uitæ, facti sint multo deteriores. Quis ergo tu es, qui confidis te multò fore iustiorum in prosperis, quàm nunc sis in aduersis rebus?

Adhæc, propter rerum omnium abundantiam, & prosperam fortunam non solum diuidimur, & deficimus à Domino Deo nostro, uerum etiam contemnimus proximum nostrum, Ideo ait Oseas, Diuisum est cor eorum, hoc est, Non sunt unanimes, nec quærit alter commodum alterius, sed unusquisque rebus suis neglecto proximo consulere studet, & quo maioribus beneficijs à Deo obruuntur, eò maiores iniurias, & incommoda sibi inuicem inferunt, peccantque nunc rixis & contentionibus, nunc imposturis, nugis, & alijs rebus, neque possunt pedes eorum fœlicitatem huius mundi ferre. Quapropter Deus ad iram, & indignationem (ait Propheta) commouebitur, ita ut uniuersum Regnum eorum, unà cum altaribus & simulachris suis euertatur, id quod factum legimus paulò pòst, per Salmanezarem Regem Assyriorum.

Diuisionis
& discor-
diæ causa
abundan-
tia:

Constituti itaque in periculis & angustijs, quid facient, aut quò se uertent? Desperabunt, dicentes, Non est Rex nobis, quia non metuimus Dominum. Quomodo igitur nos Rex iuuare, & ex periculis extrahere posset? hoc est. Desperabunt in suis calamitatibus. Naturaliter enim contemptum Dei & uerbi eius sequitur desperatio, & fieri non potest, ut hi, qui extra pericula, & in rerum prosperitate contempserunt, & calumniati sunt uerbum Dei, in aduersis rebus constare, aut auxilio Dei fidere possint. Si autem non possunt auxilio Dei fidere, certè

Desperatio
sequitur cō-
temptum
uerbi.

nihil est quòd sperent, se auxilio humano, aut Imperatoris in periculis fore tutos: confundentur enim iuxta illud, Nolite confidere in Principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus. Nunc (inquit Oseas) cùm sunt extra periculum, & omnium rerum abundantia, atque pace fruuntur, magnifica quidem iactant more Thraſonum, maledicentes suis hostibus inter pocula. Adhæc ineunt fœdera iuramentis confirmata, quòd uelint coniunctis uiribus, hostibus resistere, periculo omnium rerum suarum. Sed quando ad rem peruentum fuerit, mox animus ille ferox in pedes cadet, & caebunt sibi post principia. Etsi enim omnia sua auxilia in unum conferrent, & firmis fœderibus se inuicem coniungerent, non tamen effugient pœnam, quam inflicturus est Deus eis propter iniquitates, & contemptum uerbi sui. Sed sicut amarissimæ herbæ præter spem in agris crescunt, Ita ex improviso irruet Salmanezar perditurus eos. Elegans, & aptissima hæc est similitudo, quam affert hoc loco Oseas. Nam quemadmodum sæpe usu uenire solet, ut homines postquàm semen bonum in agros suos seminauerint, copiosam expectent quidem Messem, inueniant autem loco tritici lolium & zizania. Ita Israelitæ pollicentur quidem sibi uictoriam, & securitatem, sed ecce loco securitatis & uictoriæ crescit Metus, Angustia, Exilium, & omnis amarissima calamitas. Atque hæc est fortuna eorum, qui contempto uerbo Dei confidunt humano auxilio, & fœderibus suis, quæ contra Legem Domini percusserunt.

Thraſonū
imago.

Similitu-
do à femi-
ne sumpta.

AD VITVLAS BETHAVEN PAVEBUNT HABITATORES
SAMARIE: QVIA LVGEBIT SVPER EVM POPVLVS
EIVS, ET SACERDOTES EIVS, QVI SVPER EO EXVL-
TANT OB GLORIAM EIVS, QVOD MIGRATVRA SIT
AB EO.

ETIAM IPSE IN ASSVR DVCETVR IN MVNVS REGI
IAREB, PVDOREM EPHRAIM CAPIET, ET PVDORE AF-
FICIETVR ISRAEL A CONSILIO SVO.

TRANSIRE FACIET SAMARIA REGEM SVVM, QVASI SPV
MAM SVPER FACIEM AQVÆ.

DISPERDENTVR QVOQVE EXCELSA AVEN, PECCATVM
ISRAEL, SPINA ET TRIBVLVS ASCENDET SVPER ARAS
EORVM, ET DICENT MONTIBVS, OPERITE NOS: ET COL-
LIBVS, CADITE SVPER NOS.

Cùm nobis hæc uerba Prophetæ simpliciter proponun-
tur,

tur, apparent prima facie planè inutilia, & talia, quæ nihil ad nos pertineant: sonant enim de uitulis Bethauen, & de incolis Samariæ. Quid enim illi ad nos, quorum uix nomina tenemus? Sed quia scriptura nobis hæc sedulò solet proponere, Ideo obediendi corde & attentis animis hæc audiamus, ut cognoscamus ad quem usum sint nobis proposita.

Pergit itaque Oseas denunciare futuram calamitatem per partes, & specialiter, dicens, Incolæ, siue ciues Samariæ migrabunt, unà cum Aureis suis uitulis Bethauen (Loquitur enim, quantum ego iudico, de uitulis in Dan & Bethel erectis, alioqui .n. ut suprà diximus, Bethauen est peculiaris quidam locus, non procul à Bethel disitus.) In alienam terram migrabunt, ibique erunt peregrini. Quin & ipsi uituli Regi Assyriorum Iareb, (cuius suprà facta est mentio) pro dono, & munere deferentur. Tunc autem uulgus, & sacrificuli, qui glòriabantur de uitulis illis, lugebunt, eo quòd ablati sint ab ipsis uituli aurei, & cogentur uel tandem uitulinum suum deum relinquere. Hæc concio apud Israelitas perinde sonuit, ac si quis apud Papistas de Missa concionaret. Est enim Missa Papistica uitulus aureus, hoc est, cultus diuinus, non à Deo, sed à Pontificibus pro satisfactione peccatorum institutus, & postea confirmatus à Regibus & Potentibus huius mundi, quemadmodum & uituli aurei, per successionem ab omnibus Regibus Israelis confirmati sunt, postquam essent à Ierobeamo primo Rege Israelis erecti. Quod igitur Propheta de his uitulis, & cultoribus eius concionatur, hoc idem nos de Missa Papistica intelligamus. Veniet enim tempus, quando cultores Missarum, unà cum suis Missis peregrinabuntur, & Missæ pro ludo, ac delicijs à morionibus habebuntur. Scio cultores Missarum cum talia audiunt, ridere & cogitare intra se, uanas has esse prædictiones. Fieri enim non posse existimant, ut Missæ unà cum cultoribus suis pereant, siquidem à parte sua habeant stantes Pontifices, & Reges, qui potentia suorum armorum conantur pro uirili Missas in suo Papistico statu incolumes conseruare. Sed meminerint, cultores uitulorum quoque risisse Prophetas, prædicantes de abolitione & interitu uitulorum, & certò sibi promisisse, abrogationem uitulorum suorum esse impossibilem, propterea quòd tot seculis, & à tot Regibus sint confirmati, & conserua-

ti . Sic enim scriptura de Prophetis in Iuda loquitur: Mittebat Dominus Deus ad illos per manum nunciorum suorum, &c. at illi subsannabant nuncios Dei, & paruipendebant sermones eius, Illudebantque Prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum, &c. Si hæc Prophetis acciderunt in Regno Iuda, proculdubio in Israelis siue Ephraim Regno Prophetas exhibilarunt. Notanter autem hoc loco dicitur, Populus, & sacrificuli eius lugebunt, qui prius gloriabantur de uitulis. Erat enim uitulinus ille cultus uulgo hominum planè diuinus & sacrosanctus, ut cui omnis gloria, benedictio, salus, & omne bonum tribueretur. Si cui deerat sanitas, uitulo ad recuperandam sanitatem sacrificabat. Si quem paupertas urgebat, uitulo pro opibus congregandis seruiebat. Si quem mors infestabat, uitulo sacrum faciebat, ut liceret mortem effugere. Breuiter, Vitulus Asylum uulgi in omnibus aduersis fuit. Sacrificulis uerò & Monachis hic cultus erat gloria. Cùm enim quis saltem perdidisset morem sacrificandi uitulo, in summo habebatur precio, neque deerant ipsi diuitiæ, sed in summis uiuebat delicijs. Non igitur mirum quòd lugebunt, quando ab ipsis uitulus fuerit ablatu.

Eiusdem ferè farinæ est Missa Papistica, quæ pro expiatione & satisfactione peccatorum est instituta. Est enim cultorum quidem Asylum, Sacrificulorum uerò gloria. Sed audi quid hoc loco Propheta concionetur? Confusionem, inquit, accipiet Ephraim & confundetur in consilijs suis. Est enim confusio naturalis & iusta pœna, quæ debetur fictitijs & contra uerbum Domini institutis cultibus. Sic primus Rex Israelis Ierobeam, aureos uitulos, non mandato diuino, sed propria adinventione excogitauit, & erexit. Sic hypocrite Missam suam, non iussu Christi aut Apostolorum eius, sed proprijs suis consilijs instituerunt, ut esset expiatio peccatorum, & Asylum in omnibus aduersis huius seculi. Meritò igitur confundentur.

Et hæc de populo, atque sacrificulis. Quid autem de Rege? Transire (inquit Oseas) faciet Samaria Regem suum, quasi spumam super faciem aquæ. Quemadmodum enim spuma quæ super aquas, magno quidem impetu fertur, mox autem ab aqua abripitur, & eijcitur, ut nusquam compareat. Ita Rex Samariæ, magno quidem fertur impetu, & uidetur sibi solus impe-
rare

rare & dominari. At nihil aliud reuera est, quàm spuma & aqua bulla, quæ abripitur ab aqua. Eijcietur enim è terra & Regno suo, neque poterit se tueri contra uim hostium suorum in Regno Israel grassantium. Sicut scriptum est quarto Regum decimo septimo. Assyriorum enim Rex ultimum Israelis regem Oseam uinctum misit in carcerem.

Quid autem faciet Deus cum phanis, seu excelsis & Monasterijs? Excelsa Auen, hoc est, omnia excelsa, quæ hinc inde in regno suo extruxerant Israelitæ contra præceptum Dei, atque in ijs Idolis sacrificauerant (Propheta enim tantum meminit unius loci, comprehendit autem sub eo omnia reliquorum locorum excelsa) destruentur, hoc est, quæ fuerunt Israelitæ in his excelsis & phanis pietatem suam, sed ecce inuenta est in eis iniquitas eorum. Existimarunt quoque se hisce cultibus sanctificandos. Quia uerò contra mandatum Dei instituerant eos, inquinauerunt & polluerunt se eis. Adhæc, erexerunt hæc excelsa sua in laudē, & gloriam diuini nominis, atq; sperarunt fieri non posse, ut destruerent. Ecce autem spinæ, & tribuli crescent in eis, hoc est, deserentur: neque post hac peregrinabuntur ad ea homines: corruent denique, neque erit qui restauraturus sit ea. Hæc enim est fortuna excelsorum illorum, quæ sine uerbo, & fide, ex sola hypo crisi, superstitione & bona (ut loquuntur) intentione ædificata sunt. Quid amplius? Tantus (inquit) luctus erit in Regno Israel, ut homines pertæsi huius uitæ, optaturi sint sibi ipsi mortem: terq; quaterque beatos prædicaturi sunt eos, qui ante aliquot annos fuerint mortui. Imò ad montes & colles dicent, Cadite super nos, operite nos, ne cogamur uidere immensas & horribiles illas calamitates. Et quia mors tempore deuastationis eorum in lucro deputabitur, necesse est calamitatem futuram esse multò ipsa morte horribiliorem. Sed frustra optabunt mortem, reseruabuntur enim durioribus malis. Repetit Christus Lucæ uigesimo septimo hæc uerba Prophetæ, cum extra ciuitatem Ierusalem crucifigendus duceretur, & ad mulieres uaticinaretur de calamitate futura post mortem suam. Et utimur plerunque hoc modo loquendi, quando ingentem calamitatem significare, & exaggerare uolumus.

Luctus in
Israel.

A DIEBUS GIBEA ISRAEL PECCASTI, IBI STE-

q iij

TERVNT: NON COMPREHENDET EOS IN GIBEA PRÆLIVM SV.
PER FILIOS INIQVITATIS.

Scio varias huius loci interpretationes esse, Abundet ergo unusquisque sensu suo. Ego quid sentiam simpliciter indicabo. Breuibus quidem sese expedit uerbis Oseas, facile autem ex eis intelligi potest, quæ fuerit obiectio uulgi aduersus conciones eius. Postquam enim prædixit impendentia mala, & indicauit Israelis Regnum per Assyriæ Regem deuastandum, procul dubio contra Prophetam murmurarunt, dicentes, quid tu nobis subinde de deuastatione Regni nostri concionaris? Nolumus tibi adhibere fidem. Neque fieri potest, ut Regnum funditus deuastetur & deletur. Et si enim semel aut iterum contra Assyrios hostes nostros infeliciter pugnabimus atque inferiores eis erimus, tamen speramus nos uel tandem superaturos hostes, & uictoriam ex eis, quemadmodum olim in Gibeā ex Beniamitis qui & ipsi bis nos uicerant, Iudicum decimonono, reportaturos. Et quid nobis toties inculcas deuastationem? Tamen Beniamitæ, propter nefandam suam libidinem penè omnes deleti, rursus creuere in Gentem & tribum magnam. Speramus itaque & nos, etiamsi propter peccata nostra affligendi fortassis sumus, uires iterum recuperaturos, & in Regno nostro mansuros. Apage igitur cum tuis diris imprecationibus. Non enim funditus delebimur. Ad hanc igitur obiectionem respondet Osea hoc loco, dicens, Concedo atque fateor, uos Israelitas olim in Gibeā iustè egisse, & probè constituisse, pium erat zelo iusticiæ iniquitatem punire, Heroicum erat, post tot acceptas clades in prælio constare, Religiosum erat, Dei auxilium in aduersis inuocare, & uictoriam ab eo petere. Sed quid obsecro ab eo tempore unquam fecistis boni? A diebus Gibeā peccastis, primùm iniquo iuramento, quo uos deuouistis, nè quisquam uestrum daret filiam suam filijs Benjamin in uxorem. Deinde uarijs Idololatrijs uos contaminastis. Adhæc repulistis Deum, eligentes uobis Regem. Insuper à familia Dauidis defecistis, & elegistis Regem Ierobeam, qui autor fuit omnis uestre, corporis & animæ, perditionis. Deinde, Seruistis Baalim. Prophetas quoque, quotquot uos ad resipiscentiam, & ad ueros cultus diuinos reuocare studuerunt, persecuti estis. Breuiter,
ab eo

Israelitæ
quomodo
peccauerint à dieb.
Gibeā.

ab eo tempore, quo constitistis & uicistis in Gibeā, subinde deteriores facti estis. Quare non est, quòd speretis uos exemplo maiorum uestrorum euasuros è manibus Assyriorum. Longè alia ratio erit huius belli, quod contra uos geret Assyrius, quàm fuit illius, quod maiores uestri gesserunt cum Gibeonitis. Maiores uestri pugnaverunt contra maximos nebulones Gibeonitas, Vos autem multò nunc peiores estis Gibeonitis. ^{Gibeonitarum bellū.} Illi zelo iniquitatem & nephandas libidines puniuerunt. Vos iniquitates & omnis generis scelera defenditis, tantum abest ut puniatis. Illi inuocabant auxilium Dei, uos autem contemnitis Verbum, & promissiones Dei, ideo non potestis auxilium Dei inuocare. Itaque (ut dixi) longè aliud bellum uos apprehendet, quàm illud erat, quod gestum est contra Gibeonitas filios iniquitatis. Tametsi enim tunc semel atque iterum maiores terga uerterunt hostibus, tamen constiterunt tandem, & uicerunt. Nunc autem irruente Assyrio non constabitis, sed semper more ignauissimorum militum fugietis, donec tandem deuastabimini, atque conteramini.

IVXTA DESIDERIVM MEVM CORRIPIAM EOS, CONGREGABVNTVR ENIM SVPER EOS POPVLI, CVM COLLIGABVNTVR PROPTER DVAS INIQUITATES SVAS.

EPHRAIM VITVLA EST ASSVETA ET DILIGENS TRITVRARE, EGO AVTEM TRANSIBO SVPER COLLVM EIVS PVLCHRVM, ASCENDAM SVPER EPHRAIM, ARABIT IVDAS, CONFRINGET SIBI SVLCOS IACOB.

SEMINATE VOBIS IN IVSTICIA, ET METITE IVXTA MISERICORDIAM: INNOVATE VOBIS NOVALE. TEMPVS REQVIRENDI DOMINVM, DONEC VENIAT ET DOCEAT VOS IVSTICIAM.

SED ARASTIS IMPIETATEM, IDEO INIQUITATEM MESSVISTIS, COMEDETIS FRVCTVM MENDACII, QVIA CONFISVS ES IN VIIS TVIS IN FORTITVDINE FORTIVM TVORVM.

PROPTEREA CONSVRGET TVMVLTVS IN POPVLO TVO, ET OMNES MVNITIONES TVÆ VASTABVNTVR, SICVT VASTAVIT SALMAN BETH ARBEL IN DIE BELLII, QVANDO MATER CVM FILIIS ALISA EST.

SIC FACIET VOBIS O BETHEL PROPTER MALICIAM MALICIÆ VESTRÆ. IN AVRORA SVCCIDENDO SVCCIDETVR REX ISRAEL.

Haectenus in peruersos mores, & summā impietatē Israelitarū

inuectus est Oseas, Et quia uidet nullum apud eos esse modum, neque finem impietatis, pergit suo more eis denunciare poenas, quas ipsis Deus sit inflicturus, & loquitur de eis tanquam de bobus, qui solent sub idem iugum copulari, & ait: Desiderio (inquit Dominus) meo obsequar, & summa quadam delectatione coniungam eos tanquam boues sub unum & idem iugum, ut ex improviso deinceps ab hostibus suis obruantur, & præda eorum fiant. Neque iniuria. Ephraim enim, hoc est, Rex, Princeps, Incolæ, & subditi Regni Israelis, ueluti uitula lasciua est, quæ non aratro, aut alijs arduis laboribus, sed tantum Trituræ assueta est, Is labor iumentis leuis & gratus fuit, non enim alligata, non iugo, non onere pressa erant, sed liberè discurrebant, & suppedibat eis uictus abundantissimè, secundum mandatum Domini in Lege Deutero. uigesimo quinto, Boui trituranti non alligabis os, hoc est, non prohibebis quin inter triturandum comedat, & saginetur. Ita Israel hætenus non est assuetus exilijs, direptionibus & totius Regni deuastationi, sed habitauit in Regno suo sub ficu & uite sua confidenter, & retinuit sua quæ possedit in pace. Etsi enim interdum hostium suorum incursiones sensit, tamen tantum abfuit, ut ab hostibus oppressus, & deletus sit, ut etiam occasione incursionis huius, ad longe maiorem gloriam, & ad ampliores diuitias perueniret, atque adeo tanquam uitulus, saginatus fuerit. Sed quemadmodum uitulus saginatus meliori pabulo, non mansuetior sed lasciuior, & ferocior redditur. Ita Israel uictoria, contra hostes, & abundantia omnium rerum suarum non melior sed multo deterior factus est, & incepit paulatim Domini Dei sui (cuius ope, & auxilio ab hostibus liberatus, & à quo omni genere beneficiorum affectus fuerat) obliuisci. Sed non impunè feret lasciuiam & ingratitude suam. Ita enim ait Dominus per Prophetam. Ecce ego transibo super pulchrum collum eius, hoc est, macerabo eum plus satis, auferendo ab eo beneficia mea, quibus hætenus saginatus fuerat. Et quemadmodum crassus & impinguatus bos, cum ad duriores labores Arationis, & occasionis à tritura, aut è stabulo ducitur, pinguedinem, & bene curatam cuticulam amittit, atq; macilentior reddi, ita (ait Dñs) auferam à duob. regnis Iuda scilicet, & Israel, pabulum, & beneficia mea, & cogā eos perferre durissimos quosq; labores: Equitabo enim

Ephraim
lasciua uitula.

enim super eis. Et Iuda quidem arabit, Iacob autem decabit, hoc est, Regnum Iuda grauissimè affligetur, Israelis autem funditus delebitur, & deuastabitur. Breuiter, eijcientur in exilium, in quo necesse habebunt seruire seruitutem durissimam, & omnibus molestijs plenissimam. Lasciuiores facti sunt, quàm ut possint iugum recipere. Equitabo igitur super eis, id est, abijciam eos in exilium, in quo arare, & glebas frangere necesse habebunt.

Quæ hoc loco dicuntur, Primò quidem impleta sunt in Regno Israel. Salmanassar enim Rex Assyriorum, non tantum deuastauit Regnum illud, uerum etiam habitatores, & incolas eius captiuos abductos posuit in Hailam & in Habor iuxta fluuium Gozan in ciuitatibus Medorum, sicut scriptum est quarto Regum decimo septimo. Deinde uerò in Regno Iuda. Nam primo quidem Saneherib omnes ciuitates munitas huius Regni, excepta Ierosolyma, cepit; postea uerò Rex Babylonis Nebucadnezar, uniuersum Regnum Iuda, unà cum Metropoli Ierosolyma cepit & solo æquauit. Quid igitur est à pingui pabulo ad Arationem & occationem abducere, si hoc non est?

Non dubito autem quin incolæ Regni Israel, audientes seuerissimas minas has, toto pectore exhoruerint, & obstupuerint, atque adeo cupiuerint euitare futuram calamitatem. Poenitentia uitæ impendentia mala. Hortatur ergo eos Oseas ad emendationem uitæ suæ, siue ad Resipiscentiam, qua sola impendentem cladem auertere possint, dicens. Seminate uobis iusticiam, quasi dicat. Video uos exterritos minis istis, quas iussu Domini Dei nostri iam uobis proposui, neque dubito quin ex animo cupiatis effugere deuastationem, & exilium. Agite ergo amicissimi, ostendam uobis medium, quo si usi fueritis, permanebitis in uestro regno, neque poterunt hostes uestri minimum capillum capitis uestri ledere. Ecquod est illud medium? Seminate, inquit, iusticiam, & merite ad misericordiam. Innouate uobis nouale, hoc est, Ante omnia nolite inniti uestra propria iusticia & pietate. Sed credite in uenturum, & promissum Messiam. Nam propter hunc remittet uobis Dominus Deus noster, omnia uestra peccata, & uos iustos reputabit. Deinde ex hac fide benefacite proximis uestris, Dilectio enim proximi fructus est, quem ex fide merere debetis. Postremò, Induite nouum hominem, & ambulate in

novitate vitæ uestræ, Euellite ex cordibus uestris spinas impietatis, & pertinaciæ, & preparate ea ad excipiendum uerbum Dei & ad faciendū fructum centuplum. Dico enim uobis, quoniam nunc tempus est summo studio & diligentia inquirere Dominum, donec ad nos ueniat, & doceat nos iusticiam, hoc est, donec ueniat ut nos iustificet, & ex omnibus calamitatibus eripiat. Hoc enim consilio Deus Prophetas suos ante calamitates solet mittere satis manè, ut admoneat populum suum impendentis mali, & ut parcat ei, si monitis Prophetarum obtemperet & resipiscat, & (ut dicam uobis quod res est) Dei natura & ingenium est hominibus parcere, atque eis benefacere, neq; delectat interitu & perditione eorum. Ideo misit me quoque ut admoneam, & horter uos ad quærendum eum, Id quod fit per fidem in uerbum eius. Quæsitus autem & inuestigatus adueniet ad uos, allaturus secum ueram iusticiam, liberationem ex omnibus malis, & uitam æternam.

Utitur autem Oseas hoc loco uocabulis Serere, Metere & Arare, Metaphoricè pro ijs, in quibus posita est uita Christiana & uera pietas, Videlicet pro credere & diligere siue benefacere, eo quod paulò antè dixerat, Iudam debere arare, Iacob aut frangere glebas, aut occare.

Possunt autem hæc uerba Oseæ etiam de Aduentu siue incarnatione Domini nostri Iesu Christi intelligi, quasi dicere uelit. Non est, quod (postquam ex Regno uestro eieci fueritis) spem ullam reditus concipiatis, Date autem operam iusticiæ ijs in locis in quæ dispergemini, & benefacite alterutrum, & exerce te inuicem misericordiam. Nam necessitas summa postulabit à uobis, ut quæratís Dominum, & resipiscatis, donec ueniat promissus Messias Dominus noster Iesus Christus & homo fiat, & effundat iusticiam ueram. Cum enim uenerit, afferet primò omnem iusticiam & pietatem. Deinde omnem liberationem. Postremò omnem salutem, & fœlicitatem, quam cõferet omnibus ijs qui sunt in ipsum credituri. Poteritis ergo tunc temporis liberari, non quidem ex corporali captiuitate & seruitute, sed ex spiritualibus ærumnis. Faciet enim ex uobis, si in ipsum credideritis, ciues regni cœlestis, & cohæredes omnium cœlestium suorum bonorum.

Sequitur Vos autem arastis iniquitatem, hoc est, & si sæpius estis

estis admoniti, & adhuc admonemini ad Resipiscenciam, ut effugere futuram iram Dei, & auxilium eius impetrare possitis, tamen nullas admisistis admonitiones. Nos quidem concionamur uobis de emendatione uitæ & resipiscencia, uos autem ridetis nos & contempnitis uerbum Dei, atq; omnes sanas admonitiones respicitis. Ab initio arastis impietatem, hoc est, ab initio fuistis impij & mendaces. Deinde messuistis iniquitatem, hoc est, continuaistis uestram maliciam. Postremò comedistis fructum maliciæ, id est, quasi fructum reposuistis maliciam & mendacium uestrum in horrea uestra, & satiastis uos perfidia atque mendacijs. Impietas erat aratro excindenda, sed uos eam stabilistis, ut radices agat. Dies noctesq; nihil aliud agitis, quàm ut de perficiendis impietatibus, & mendacijs uestris cogitetis. Hoc uerò ideo uos facere existimo, quia speratis uos contempta Resipiscencia, posse alijs medijs effugere deuastationem. Aut enim speratis, uos sapientia uestra euasuros, aut uirtute fortium uiorum, & uiribus proprijs hostium uim propulsaturos. Aut existimatis uos merito impiorum uestrorum cultuum tutos fore. Ideo concionem de Resipiscencia, qua sola euitare omnia pericula possētis, contemnitis, & ridetis. Sed uos (ò boni socij) longè erratis, & mentietur uobis spes uestra. Consurget enim Tumultus in populo, & omnes munitiones uestræ uastabuntur. Neque erit leuis aliquis tumultus aut deuastatio simplex, sed talis, in qua non sexui, non ætati, non demum foetui in utero parceretur! Scitis quid nuper uobis acciderit cum Salman tam crudeliter grassatus est in Regione uestra, præcipuè uerò cum Beth Arbelem uastauit, In eo enim prælio, tanta strages est ædita, ut etiam matres super filios allisæ fuerint. Talis igitur uos manet clades, neque poteritis effugere aut prudentia, aut fortitudine exercitus uestri: neque est, quòd polliceamini uobis euasionem propter fictitios cultus, & hypocrisim uestram. Cæterum hæc historia de Salmana, cuius hic Propheta meminit, non extat (quod ego sciam) in sacra scriptura, neque potest intelligi de Salmana, de quo Iudicum capite octauo scribitur. Ille enim Salmana in libro Iudicum, alijs literis scribitur, quàm hic apud nostrum Oseam. Sunt qui referunt hanc historiam ad Salmanassar, & ad ciuitatem Samariæ. Sed utcunque se habeat, certum est quòd Oseas mentione huius historię atrocissimam calami-

Arare impietatem.

Salman.

tatem & crudelitatem Israelitis significare uelit: Nam quem ad modum Salman in expugnatione Beth Arbel, non sexui, non aetati, non denique foetui in utero materno existenti pepercit, ita Salmanasser non parurus erit tibi à Bethel, sed crudelissimè te propter maliciam tuam tractabit. Adhæc Rex ipse etiam opulentia, & potentia floret, uideturque sibi optimè instructus militibus, & alijs præfidijs, repente & in momento abripietur, & quasi aurora oriente iam Sole subito perdetur.

Bethel &
Beth Arbel

Magna est cognatio nominum Bethel & Beth Arbel, habent enim idem initium & eandem terminationem. Conuenienter igitur ab Osea calamitates utriusque ciuitatis inter se comparantur. Omnia ferè conueniunt. In Beth Arbel maxima accidit calamitas, igitur & in Bethel non erit minor. Similia sunt nomina, Similes etiam sunt iniquitates & maliciæ, Aequum igitur restat & pœnæ iniquitatum sint similes.

CAPVT XI.

CVM ADHVC PVER ESSET ISRAEL, DILEXI EVM, ET EX ÆGYPTO VOCAVI FILIVM MEVM. CLAMAVERUNT AD EOS. SIC ABIVERUNT A FACIE EORVM. BAALIM SACRIFICAUERUNT, ET SCULPTILIBVS SUFFIWERUNT. EGO AUTEM AMBVLARE FECI PEDIBVS IPSVM, ET PORTAUI EOS IN BRACHIIS SVIS, ET NON COGNOVERUNT QVOD SANAVERIM EOS. FVNIBVS ADAM TRAXI EOS, IN VINCVLIS CHARITATIS. ET ERRO EIS, QVASI EXALTANS IVGVM SVPER MAXILLAS EORVM, ET DECLINARE FECI AD EOS CIBVM. NE REVERTETVR IN TERRAM ÆGYPTI, ET ASSVR NON FIERET REX EORVM, SED NOLVERUNT CONVERTI. QVARE IRRVET GLADIVS IN VRBES EIVS, ET CONSUMET FORTES EIVS, PROPTER CONSILIA EORVM.

Prophetarum munus est (id quod ex concionibus eorum manifestum est, & de quo testatur scriptura sacra, cum dicit, Testificatus est Dominus in Israel & Iuda, per manum omnium Prophetarum, & uidentium dicens: Reuertimini à uijs uestris, & custodite præcepta mea, &c.) ad pœnitentiam hortari auditores suos. Porro ad pœnitentiam necessario requiritur cognitio peccati, peccatum autem ex Antithesi beneficiorum, quæ Deus in nos miseros peccatores contulit, exaggeratur. Itaque Oseas Israeli ob oculos ponit ingentia aliquot beneficia Dei, quæ in

eos contulit, ut ex ijs incipiant peccatum suum agnoscere, & ex agnitione eius ad ueram Resipiscentiam conuertantur. Dilexi (inquit in nomine Dei) Israel, cum adhuc puer erat, hoc est, cum essent paucissimi numero, adeo dilexi eos, ut familias eorum tanquam stellas coeli & arenam maris multiplicauerim. Deinde cum essent in Aegypto & uarijs eisque intolerabilibus oneribus premerentur, liberaui eos, ut quanto plus premerentur, tanto magis multiplicarentur. Adhuc uocaui filium meum Israel ex Aegypto, atque mirabiliter per mare Rubrum saluum, & incolumem duxi, quod quale sit beneficium, nullus pro dignitate iudicare potest.

Beneficia
Dei erga Is-
raelem.

Hæc uerba (Ex Aegypto uocaui filium meum) repetit ex hoc nostro Propheta, Matthæus capite secundo, Et accommo- dat ea ad Dominum nostrum Iesum Christum. Ita enim ait: Ioseph assumptis matre & puero Iesu nocte, secessit in Aegyptum, & mansit ibi, usque ad obitum Herodis, ut adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Aegypto uocaui filium meum. Quæritur autem quomodo conueniant Oseas, & Matthæus, cum ille de Israele, hic de Christo filio Dei hæc uerba intelligat? Respondeo. Dominus Deus noster uocat uniuersum populum Israel, Primogenitum filium suum. Exodi secundo. Idque facit propter multas causas, præcipuè uerò ob hanc, quòd Gentem Israeliticam propter unigenitum filium suum dilexerit, atque ex omnibus nationibus elegerit, atque decreuerit, ut ex hac Gente Christus filius suus nasceretur, & orbi reuelaretur. Vocando igitur Israellem filium suum unigenitum, potissimum in filium suum Dominum nostrum Iesum Christum respexit. Igitur quod hoc loco dicit Dominus per Oseam: Ex Aegypto uocaui filium meum, loquitur quidem de corporali Israele, Et sunt ista secundum literam de externo Israele qui per Mosen & Aaronem per mare ex Aegypto de domo seruitutis eductus est, intelligenda, Sed quia Christus est uerus filius Dei, propter quem Israel quoque uocatur filius, sentiamus Spiritum sanctum potissimum in Christum respexisse. Quid enim Beneficij summi loco opus fuisset, reputare liberationem corporalis Israelis, si non & Christus ipse ex hoc populo nasciturus ex Aegypto de manu suorum hostium fuisset liberatus? Aut si Christus in Aegypto

Cõciliatio
Matthæi
cum Osea.

Israel cur
dicatur pri-
mogenitus

interiisset, quid nobis profuisset? quis pro nobis mortuus fuisset? Et quis nos Domino Deo nostro reconciliaisset? Quid præterea corporali Israël ex Aegypto proficisci profuisset, si Christus tacite in Aegypto periisset? necesse habuisset mori, & post mortem æternæ damnationi subijci. Rectissimè ergo & uerissimè, addo etiam Spiritu uerè Apostolico Matthæus hoc dictum ad Christum unigenitum filium Dei accommodauit. Prophetæ enim unanimi sensu, atque instinctu Spiritus sancti potissimum in Christum respiciunt, & in alijs quoque præcipuis dictis suis, quæ κατὰ τὸ πνεῦμα aliud significare uidentur, præcipuè de Christo uaticinantur. Quod cum ita sit, erit uerborum Oseæ hæc sententia. An non (inquit Dominus) summum hoc, atque inenarrabile beneficium contuli in Israelitas, illo ipso, quòd non solum eos ex Aegypto liberauerim, uerumetiam postquam impletum tempus promissionis meæ fuerit, dilectum quoque meum filium Iesum Christum, in Aegyptum ducturus, in ea incolumem conseruaturus, atque ex ea iterum reducturus sum, ut per ipsum non solum posteri eius, uerumetiam hi, qui longè ante Aduertum eius in terris uixerunt, ab æterna morte liberentur, & ad æternam fœlicitatem ducantur. Quid est beneficium summum, si hoc non est?

Non solum autem hoc (inquit Dominus) in Israelitas contuli beneficium, uerum etiam gessi me erga Ephraim, hoc est, erga uniuersum Regnum Israelis, quemadmodum se gerit parens erga tenerum adhuc filiolum suum. Hunc enim parens apprehensum manu sua hinc inde circumducit, donec adolescat, & discat per se absque ductore incedere. Ita Deus Regnum Israelis à paruis initijs ad summum fastigium duxit, & subinde auxit, donec factum sit potens, & florens Regnum.

Præterea (inquit Dominus) Attraxi eos funiculis Adam, & uinculis Dilectionis. Ecqui sunt funiculi illi Adam? Sunt blandissima uerba, summa quoque beneficia, & munera quibus delinuit eos. His enim funiculis capitur Adam, & hisce uinculis irretiuntur homines. Muneribus & donis corrumpuntur Iudices, ad iniquas ferendas sententias. Munera crede mihi placant hominesq; deosq;. Muneribus pudicæ mouentur ad impudicitiam. Muneribus mouentur fortes ad ignauiam. Breuiter munera funiculi sunt (ut dixi) quibus capiuntur filij Adam. Dicit

Funiculi
Adam.

cit ergo Dominus : usus sum & ego hoc medio, quo solent homines ad obedientiam & obsequium deliniri. Promisi enim meis Israelitis omne bonum, præstiti quoque omnis generis beneficia, & adhuc cupio eis benefacere. Posui eis funiculos beneficiorum, & uincula munerum, idque hoc consilio, ut ijs caperentur ad Resipiscentiam & emendationem uitæ suæ.

Adhæc, quod est Agricola erga sua iumenta, ego eram Israelitis. Agricola enim, ne iumenta lassitudine deficiant, leuat iugum de collo eorum, ducit ad pabulum & potum, ut habeant unde uitam suam sustentent. Ita ego me quoque gessi erga Israelitas meos. Multoties enim liberaui eos à iugo captiuitatis & seruitutis. An non repleui eos ad satietatem usque bonis terræ? Imò dedi eis terram lacte, & melle fluentem. Et hæc omnia feci, ut in periculis suis non ad Aegyptios, aut Assyrios, sed tantum ad me confugerent, & uerbo meo obsequerentur.

Quid autem profuerunt hæc beneficia? ne tantillum quidem. Nam quo maioribus beneficijs eos affeci, eò longius à me recesserunt. Primum enim uocabantur à Mose, & Aharone, Deinde à reliquis Prophetis ad obedientiam uerbi mei, Sed quo diligentius uocabantur, eo obstinatius à me recedebant. Cum autem à Gentibus & à Moabitarum filiabus ad Idolorum suorum sacrificia inuitarentur, dicto citius eis obediuerunt, sicut scriptum est, Numeri uigesimo quinto, abierunt enim & more Gentium Idolo Baal sacrificabant. Quis non expauesceret toto pectore, cogitans de hac obstinatio eorum, qua approbarunt Gentium Idola, Dei autem præcepta sunt transgressi? Adhæc, etiamsi sæpius auxilium meum eis contra hostes suos promisi, tamen nunquam uoluerunt niti auxilio meo, sed miserunt in Aegyptum, & ad Regem Assyriorum, implorantes auxilium eorum, ut confirmarent Regnum eorum, quemadmodum scriptum est quarto Regum decimo quinto.

Conferigitur nunc peccata Israelis, cum beneficijs quibus Deus eos affecit, & apparebunt multò grauiora, quam si nuda, & absque consideratione beneficiorum considerentur. Etsi autem Deus hoc consilio hac usus est antithesi, ut ea uel tandem ad Resipiscentiam mouerentur, tamen (ut dicitur) nulli sancto adhibent fidem, nisi edat signa & prodigia. Pergit itaque Oseas denunciare eis pœnam, quam pro impietate & ingra-

Israelitarum
ingrati-
tudo & obsti-
natio.

titudinē eis inflicturus est, ut uel saltem ex grauitate eius discant cognoscere grauitatem peccatorum suorum. Et ait, Irruet gladius in urbes eius, & consumet omnia obuia, Subditos, Milites, Regem denique ipsum. Hoc nimirum præmium erit, quòd tam beneficium Deum neglexerunt, & maluerunt cogitationes & studia sua, quàm Dei Verbum sequi.

Proponuntur nobis ista, ut si noluerimus peccata nostra agnoscere ex beneficijs Dei, agnoscamus saltem ex grauitate pœnæ, quam Deus inflicturus est peccatis, & moueamur ad obedientiam uerbi Dei, siue ad emendationem uitæ nostræ. Si enim neglexerimus pœnitentiam, & distulerimus eam, donec Deus incipiat punire, actum erit de salute nostra, atque necesse habebimus tandem desperare, & perpetuò perire.

POPVLVS MEVS AFFIXVS EST AD AVERSIONEM MEAM: ET CVM VOCARENT EVM PROPHETÆ AD ALTISSIMVM, NE VNVS QUIDEM ERAT QUI SE ERIGERET.

QVOMODO TE DABO EPHRAIM? ET QVOMODO TE PROTEGAM ISRAEL? SICVT ADAMA DABO TE, ET PONAM TE, SICVT SEBOIM. INVERSVM EST IN ME COR MEVM. PARITER INCALVERVNT POENITVDINES MEÆ.

NON FACIAM SECVNDVM IRAM FVRORIS MEL NON CONVERTAR, VT DISPERDAM EPHRAIM, QVONIAM DEVS EGO ET NON HOMO, IN MEDIO TVI SANCTVS, ET NON INGREDIAR CIVITATEM.

POST DOMINVM AMBVLAVNT, CVM VELVTI LEO RVGIET. QVIA IPSE RVGIET, ET FILII MARIS FORMIDABVNT.

ET AVOLABVNT QVASI AVIS EX ÆGYPTO, ET QVASI COLUMBA DE TERRA ASSYRIORVM. ET COLLOCABO EOS IN DOMIBVS SVIS DICIT DOMINVS.

Iterum conqueritur Deus de populo suo, quòd non præscriptum uerbum suum, sed suas cogitationes sequatur. Populus (inquit) meus affixus & deuotus est illis impietatibus, quibus sese à me auerterunt. Præscripseram quidem eis in sacra scriptura peculiarem quendam cultum, atque præceperam eis, ut in afflictionibus non ad externa auxilia confugerent, sed ad me festinarent, & à me liberationem ex omnibus malis peterent. Ad hæc, præcepi eis, ut obtemperarent meis consilijs, suas adinventiones relinquerent. Ecce autem, omnia mea præcepta transgrediuntur & præuaricantur. Primò enim excogitant sibi
nouos

nouos cultus diuinos, sacrificantque super montibus, atque adolent Thymiamata suis uiculis aureis in Dan & Bethel. Deinde in omnibus suis angustijs & afflictionibus Legatos suos ad Reges externos mittunt, & malunt à Regibus terrenis auxilium petere, quàm à Rege cœlesti, & omnis salutis autore. Adhæc, proprias suas cogitationes & adinventiones antefecerunt uerbo & promissionibus meis, placentes sibiipsis in suis consilijs. Postremò, prorsus à me, & uerbo meo defecerunt, & ne tantillum quidem curant. Clamo quidem ad eos, ut resipiscant, & ad me reuertantur, Neque parcunt operæ suæ Prophetæ mei, sed omni cura, studio, atque sedulitate eos ad Resipiscentiam, & emendationem uitæ suæ exhortantur, Sed narrantur furdis fabula, atque perit in eis oleum & opera. Quotus enim quisque est, qui clamore Prophetarum meorum commotus, caput suum è profundo somno impietatis attollat & Resipiscat? Imò adeò dediti & affixi sunt suis proprijs cogitationibus, consilijs, & institutis suis, ut inde se auelli nullo modo patiantur. Sed est hæc natura & ingenium hominum, quòd omnibus suis bonis libentius cedat, quàm suis adinventionibus. Aurum, O-

Hominū
natura nō
uelle cedere
re ingenio

pes, supellex, amici, Gloria, pro ingentibus bonis in mundo reputantur, his tamen multos uides libentius cedere, quàm ingenio aut propria adinventione. Dicam ego, quod plus est, Achitophel unus ex sapientissimis consiliarijs Dauidis, potius uitam ipsam amittere, & ex se literam longam facere uoluit, quàm pati ut suum consilium, & sententia sua contemneretur. Adeo sunt homines dediti & affixi suis adinventionibus, Iuxta illud: Vnicuique suum uidetur pulchrum. Et cuilibet fatuo placet sua claua. Atque hæc quidem hominum morbida natura est. Sed cognoscendum, & discendum est, quomodo medendum sit huic peruersitati naturæ. Non autem est melior medela quàm fides in Christum, & oratio, quæ fit in nomine eius. Et si enim Christus unigenitus filius est, & Thesaurus omnis diuinæ sapientiæ & scientiæ, tamen cum appropinquaret passio eius, & conciperet opinionem quandam contra uoluntatem Dei, non perstitit in hac sua opinione, sed subiecit se uoluntati Patris sui, & dixit, Pater, non quòd ego uolo, sed quòd tu uis, illud fiat. Certè si ullus alius debuisset persistere in sua cõcepta opinione, Christo filio Dei illud licuisset. Cū aut noluisset insistere suis

Cogitationibus & adinventionibus proprijs quomodo medendum.

cogitationibus, reliquit nobis non solum exemplum, sed si crediderimus in eum, uult nobis per fidem donare Spiritum sanctum, cuius uirtute nos facile & libenter, etiam contra naturam nostram deprauatam poterimus subijcere uoluntati diuinæ. Vnde in oratione Dominica iussit nos orare: Fiat uoluntas tua in terra quemadmodum fit in cælo. Sed de his haftenus. Redeamus ad uerba Oseæ.

Adamæ &
Zeboim ex
emplum.

Postquam enim Israel adeo affixus est suis adinventionibus, ut inde auelli non possit, deliberat Dominus secum quid supplicij inferendum sit Ephraim, Imò uniuerso Regno Israelis, contemnti Verbum suum, Dicens: Quomodo dabo te ò Ephraim? Aut quid faciam tecum? Libenter quidem te iuuarem, & ex periculis impendentibus liberarem, sed non possum, propter maliciam & impietatem tuam: Dabo ne te hostibus tuis? Aut penitus te abijciam, & perdam, quemadmodum olim perdidisti duas ciuitates Adamæ, & Zeboim, quando igni & sulphure perderem Zodomam, & Gomorrhæm? Testatur enim Moses Deuteronomij uigesimonono, Quòd Deus in ira & furore suo, unà cum Zodomæ & Gomorrhæ, duas has uicinas urbes Adamam & Zeboim perdidit, & minatur populo suo Israel eandem perditionem, si non obsequatur diuino mandato. Deliberat ergo Dominus, An uelit Regnum Israel, quod iam pridem pactum Dei uiolauerat, & uerbum eius præuaricatum fuerat, iuxta exemplum Sodomæ & Gomorrhæ, Adamæ & Zeboim subuertere & deuastare? Dignus quidem esses Israel, ut te perderem. Imò meritis esses, ut maiori te affligerem calamitate. Quia si in Zodomæ & Adamæ tanta miracula facta essent, quanta in Israel, quando scilicet liberabantur ex Aegypto, quando sustentabantur in solitudine, & quando occupauerunt terram Canaan, & quando uictoria contra hostes suos sunt potiti. Aut si Zodomitæ, & Adamitæ Verbum Dei ex tot Prophetis audiissent, quemadmodum Israel, certè resipissent. Meritò igitur grauius affligendus & seuerius perdendus esses quàm Zodomitæ & Adamitæ. Ecce autem immensam Dei misericordiam. Dum secum de perdendo Israele, ad exemplum Zodomæ & Adamæ cogitat, mutatur cor eius, & uertitur prorsus in misericordiam, Ita enim ait: Inuersum est in me cor meum, pariter incaluerunt pœnitudines meæ. Hoc est, Cogitabam.

Misericordia Dei immensa.

gitabam me funditus deleturum Israellem . Ecce autem, cum mihi cogitatio ista initio incideret, non aliter affectus eram, quàm si cor meum in me prorsus inuerteretur & mutaretur, & mirabar, quomodo tales cogitationes de euertendo populo meo electo, & dilecto, potuerint in corde meo oriri? Et quanto plus irasci uolebam, tanto magis ad Misericordiam, erga Israellem inflammabar. Abieci ergo iram meam, Neque poterit ulla creatura mihi persuadere, ut mercedem rependam, quam meritis est Israel, aut ut perdam eos, quemadmodum olim perdidit Zodomam & Adamam: Meriti quidem sunt, ut prorsus eos excinderem, sed mitius cum eis agam. Et suo tempore rursus reuocabo ad cognitionem Christi.

Hoc certè loco prodit se Dominus Deus noster, & aperit cor suum conspiciendum & cognoscendum: Insignis est hic locus & consolatione plenissimus, si uera fide consideretur: quì enim potuisset se Deus melius cognoscendum præbere quàm hoc loco facit? Certè animum suum paternum quantus quantus est aperuit. Nam pater, etiamsi pessima quæque cogitat se filio suo illaturum, tamen quando exequenda est cogitatio, aut manum suam auertit, aut si omnino delictum filij cogitur punire, grauius ipse animo suo affligitur, quàm filius ipse, ideo mox abijcit uirgam, qua castigauit filium suum dilectum. Breuiter, *animus paternus abscondere se non potest, & quamuis uerba sunt durissima, tamen cor paternum est mollissimum & amicissimum.* Talis est animus Dei erga dilectum suum populum. Et si enim cogitat de pœna eis infligenda, tamen retinet animum suum paternum, & aut cogitationes suas non exequitur, Aut si omnino cogitur affligere, tamen afflictio est paterna aut materna, quæ non ex corde ipso proficiscitur. Hunc animum Dei cognouit Moses. Quoties enim Deus proponeret se Israellem deleturum, toties Mose obijciebat ei animum paternum, dicens, Ah Domine, recordare promissionis tuæ, qua pollicitus es Abrahamo, Isaac, & Iacobo, te uelle semen ipsorum multiplicare, & conseruare.

Oseas quoque non aliunde didicit hunc Dei animum paternum, quàm ex promissionibus, quas DOMINVS Deus noster huic populo singulari clementia fecerat. Ideo audet palàm de Deo confiteri, quòd Gentem Israeliticam non

Animus pa-
ternus in
Deo quan-
tus.

penitus, quemadmodum Zeboim, & Adamam sit deleturus. Et addit rationem. Quia (inquit Dominus) Deus sum, & non homo, In medio tui sanctus, etiamsi non ingrediar in ciuitatem. hoc est, Ego me huic populo prorsus addixi, iuramento obligavi, Et omnibus alijs gentibus relictis, soli huic me totum ita adiunxi, & sanctificavi, ut ipsum ubique gentium, & in omnibus locis uelim defendere. Etsi igitur non ingrediantur aut egrediantur per Ierusalem, neque in ea habitauerint, sed dispersi fuerint inter omnes Gentes, tamen in medio eorum ero, neque deferam eos. Ita enim scribitur Leuit. uigesimo sexto: Attamen cum essent in terra hostili, non penitus abieci eos, neque sic despexi, ut consumerentur, & irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim sum Dominus Deus eorum, & recordabor fœderis mei pristini, quando eduxi eos de terra Aegypti in conspectu Gentium, ut essem Deus eorum, Ego Dominus Deus. Stabo igitur (inquit Dominus) promissis meis, quia Deus sum, & non homo. In Hebræo pro Homine legitur Isch, quod significat excellentem, & Nobilem uirum. Et pro Deo Hebræus legit El, quod non tantum Deum, uerum etiam fortem significat. Erit igitur sensus. Multa promittere, & parum præstare proprium est Nobilium. Et qui confidit eis, fallitur & frustrabitur spe sua. Ego autem Non sum talis, qui non præstet, quod promisit, sed sum Deus. Et quidem talis, qui sum uerax & omnipotens. Quæ promisi, re ipsa quoque præstabo, etiamsi fractus illabatur orbis. Cœlum & terra, omnesque aliæ creaturæ transibunt, minimum autem Iota de promissionibus meis non transibit. Videmus hoc loco, quòd Dominus Deus noster se totum uerbo, & promissionibus suis captiuum tradiderit. Quis igitur in periculis constitutus, habens promissionem, desperaret? Quis non patienter omnia aduersa perferret, cum is qui auxilium & liberationem promisit, fidelis, uerax, fortis, & omnipotens sit, & non tantum iuxta suas promissiones uelit, sed etiam possit liberare?

Libenter ego pro uerbis illis, (Etsi non ingrediar ciuitatem) ponerem, & ita legerem. Non adducam animal, scilicet, immundum. Nam Hebræum uocabulum, quod hic ponitur, Beir, non tantum, (in ciuitate) sed etiam Animal significat. Ut esset talis sententia. Ego in medio tui
sanctus,

Promissio
num Dei
certitudo.

sanctus, hoc est, ego me tibi totum addixi, propterea sanctificabo te, & non patiar, ut immundum animal, uel aliquid immundi ad te perueniat. Sic enim Esaia trigesimo quinto quoque dicitur: Non transibit per eam pollutus, & hæc erit uobis directa uia, ita ut stulti non errent per eam. Non erit ibi Leo, & mala bestia non ascendet per eam, neq; inuenietur ibi, & ambulabunt qui liberati fuerint.

Sed quia Beir, non de feris, sed pro domesticis & cicuribus animalibus intelligitur, placet mihi prior interpretatio, qua significatur, quod Dominus populum suum defendere & curam eius agere uelit, etiamsi non ingrediatur in urbem, id est, etiamsi non in externo Ierusalem, aut terra Canaan habitauerit, sed inter Gentes dispersus fuerit. Ibi enim Deus habitare & omnia implere dicitur, ubi habitat populus eius, propterea quod in illo loco creditur in Deum, adnunciatur uerbum eius, & glorificatur nomen eius. Quod uero Dominus cum populo suo mansurus sit, etiamsi dispersi fuerint inter Gentes, inde facile colligi potest. Primo, Quia tanquam Leo rugiet, & ipsi post eum ambulabunt, sequenturque uocem eius, donec in terram, & ædes suas peruenerint. Et cum ita (ut diximus) rugiet, tunc Filij Maris, hoc est, Gentes quidem trepidabunt, Aegyptij autem & Assyrj tanquam aues aut columbæ territæ de partu festinabunt ad terram Israel. Deinde quia Dominus dixit, se affuturum suo populo, Non igitur est quod dubiretis quin præstaturus sit quod promisit.

Quæritur autem quando tandem hæc quæ hoc loco promittuntur, completa sint? Non certè hoc tempore, quando Cyrus Persarum Monarcha liberum reditum Iudæis in terram suam concessit, tunc enim tantum Regnum Iuda restauratum fuit, Regnum autem Israelis mansit in suo exilio. Accedit huc quod Gentes non sunt comitati Iudæos, neque unà profecti sunt in terram Canaan ad restaurandum Templum Domini. Necessario igitur illo tandem tempore, hoc Osæ uaticinium completum dicendum erit, quando Dominus noster Iesus Christus Apostolos suos in uniuersum orbem terrarum ad prædicandum Euangelium suum misit. Illo enim tempore **DOMINVS DEVS** noster, quemadmodum Ioel capite tertio ait, rugiuit de Zion, & de Ierusalem dedit uocem

suam, quæ sonuit in uniuersa terra. Hac autem uoce in mundo sonante primò conuertebantur ueri Israelitæ, & proficiscebantur rursus in terram suam, non quidem externam, & corporalem, sed fruebantur promissione illa, quam olim Dominus Deus in terra eorum dederat. Deinde conuertebantur etiam gentes, quæ hoc loco filij Maris uocantur, quorum Apostolus fuit Diuus Paulus. Adhæc multi ex Aegypto, & Afsyria per prædicationem Euangelij ita conuersi & ex sua terra territi, ad Israelem confugerunt, hoc est, per prædicationem Euangelij immutati noui fiebant homines, ambulantes in uocatione Dei, credentesq; Euangelio omnium bonorum in Christo promissorum, hæreditatis quoque cœlestis participes fiebant. Vides Dominum Deum nostrum tam magnificè suas promissiones præstitisse, ut ex uno Israelita per Salmanassarem interfecto, centum alij per prædicationem Euangelij de Iesu Christo sint enati.

CAPVT XII.

CIRCUMDEDIT ME MENDACIO EPHRAIM. ET DOLO DOMVS ISRAEL, IYDA AVTEM ADHVC DOMINATUR CVM DEO. ET CVM SANCTIS FIDELIS EST. EPHRAIM PASCIT VENTVM ET PERSEQVITVR EVRV: MENDACIVM ET VASTITATEM MVLTIPPLICAT. ET FOEDVS CVM ASSVR PERCVSSERVNT, ET DEPORTANT OLEV M IN EGYPTVM. DISCEPTATIO AVTEM DOMINO CVM IYDA, SED VISITABIT IACOB IVXTA VIAS EIVS, ET IVXTA OPERA EIVS REDDET EIS.

Manifestauit antea Oseas ingentem Dei misericordiam & paternum affectum erga Israel, uidelicet, quòd proposuerit quidem se Israelem usq; ad interuersionem deleturum, propter uiscera uerò misericordiæ suæ, hanc sententiam durissimam retractauerit. Propter electos autem hanc concionem Propheta habuit, ut in fide promissionum diuinarum constarent, nec deficerent in aduersis à Deo. Nunc autem iterum sermone suo uertit se ad Israelitas carnales, & confert eos cum incolis Regni Iuda, ut proponat discrimen euentus eorum, qui uerbum Domini contemnunt, & eorum qui uerbo Domini admoniti resipiscunt. Et dicit, Ephraim circumdedit me mendacio & dolo. Quod est illud mendacium? Et quis est dolus ille? Iunxerunt se mihi scedere

hi foedere in monte Sinai, quando eis Legem meam proponerem. Et polliciti sunt, se pactum meum in sempiternum obseruaturos, Vicissim ego promisi eis me fore eorum Deum. Et hoc foedus postea saepe numero renouauerunt. Sed ecce fidefra-
 gi facti, idque dolis, & mendacijs. Nam uerbis quidem oris sui in Lege acquiescunt, de Lege gloriantur, uerbum Dei iactant, uolunt esse populus electus Dei, & Patriarchas sanctos maiores suos crepant. Et qui accusauerit eos abnegationis, aut transgressionis à Deo, illum grauisimis tormentis excruciant, tanquam reum læsæ maiestatis Israeliticæ, sed re ipsa, & factis, Deum quotidie negant, Verbum Dei persequuntur, & peius cane & angue odiunt. Denique, ad auxilia in periculis suis, non diuina, quæ multipliciter eis promisi, sed Aegyptia & Assyriaca confugiunt, Et cultus Ethnicos atque abominabiles in congregationibus suis Ecclesiasticis sequuntur. Quod quid aliud est, quam defectio à Domino Deo nostro? Et hoc quidem modo se gerunt Israelitæ. Incolæ autem Regni Iuda, adhuc regnant cum Deo, & cum sancto fidei, hoc est, perseverant adhuc in uera pietate, & ueris cultibus. Atque permanēt apud fidelem, & ueracem sanctum. Solet se Deus aliquoties in sacra scriptura uocare sanctum Israelis, & hoc loco uocat se sanctum fidelem, idque non sine causa. Sanctè enim atque fideliter seruat omne id quod promittit, & omnis qui fidit promissionibus eius non confunditur. Sic enim ait Dauid Psal. quinto: Latentur omnes, qui sperant in te. Crediderim autem Oseam hic loqui de Templo Ierosolymitano, in quo sacra iuxta præscriptum Domini peragebantur, & uerus adhuc uigebat cultus Dei. Præcipuè autem respicere Prophetam existimo in tempora Regis Hiskia, & ad insignem atque memorabilem Ecclesiæ eius Reformationem, de quo ita legimus iij. Regum xvij. Fecit Ezechias, siue Hiskias, quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia, quæ fecerat Dauid Pater eius, Ipse dissipauit excellā & contriuit statuas, & succidit lucos, confregitque serpentem æneū, quem fecerat Moses, siquidem ad illud usque tempus filij Israel adolebant ei incensum, uocauitque nomen eius Nehustan, Et in Domino Deo Israel sperauit. Itaque post eum non fuit similis ei, de cunctis regibus Iuda, sed neque in his qui ante eum fuerunt, & adhæsit Domino, & non recessit à uestigijs eius, fecitque mandata eius, quæ præceperat Dominus Mosis, &c.

Sanctus Israelis & sanctus fidelis

Hiskias reformationem ecclesiam.

Ventum
persequi.

Media im-
pia.

Atq; hæc sunt uera media, quibus ira Dei mitigari & futurum malum præueniri potest. Si igit regnū Israelis, his medijs quoq; uti uoluisset, perinde suam deuastationem potuisset effugere, atque regnum Iuda, sed ecce oleum & opera perijt in eis: Parscit enim uentum, & persequitur eorum, hoc est, frustra laborant, & nituntur medijs & uijs, nihil ad præcauendam deuastationem facientibus. Nam quemadmodum is, qui percutit aut persequitur uentum, non tantum frustra laborat, sed etiam seipsum potius, quàm uentum lædit. Ita Ephraim non tantum suos impios, & mendaces cultus diuinos cumulat, uerum etiam in periculis bellicis, fœdus ineunt cum Assyrijs mendacibus, & oleum ad Aegyptios mittunt, ut his donis eos ad auxilium suum alliciant. Hisce impijs & mendacibus medijs sperant se in periculis suis tutos fore & effugere posse deuastationem impendentem. Sed hisce medijs adeo non uitabunt sua mala, ut potius illis ipsis lernam periculorum grauissimorum sint accersuri. Impijs enim & mendacibus suis cultibus, quibus confidunt, confundent, & illis ipsis auxilijs Assyriorum atq; Aegyptiorum, in quibus spem sua ponunt, funditus euertentur. Nam hæc est fortuna impietatis & eorum qui mendacijs nituntur. Quapropter (inquit Oseas) controuersia quidem Domino Deo erit cū Iuda, hoc est, non sunt omnino à peccatis immunes, idcirco affligam eos quidem per Regem Assyriorum. Saneherib. Nam omnes eorum munitas urbes oppugnabit, & capiet, quemadmodum scriptum est iij. Regum xvij. Non tamen perdam eos, sed conseruabo regnum eorum, Ita ut hostis Saneherib necesse habeat summa infamia nominis sui Ierosolymam relinquere, & sibi fuga consulere. Iacob autem siue regnum Israelis, uisitabit Dominus ita, ut totam Gentem sit deuastaturus funditus, & radicatus, propterea quòd respiscere, & mendacia sua relinquere noluerint. Breuiter, iuxta opera eorum, retribuetur eis.

IN VTERO SUPPLANTAVIT FRATREM SVVM. ET IN FOR-
TITVDINE SVA PRÆVALVIT DEO.
PRÆVALVIT INQVAM ANGELO, ET SVPERIOR FVIT: FLE-
VIT ET ROGAVIT EVM, IN BETHEL INVENIT NOS, ET
IBI LOCVTVS EST NOBISCVM.
DOMINVS DEVS EXERCITVVM. DOMINVS MEMORIALE E-
IVS.
TV ERGO AD DEVM TVVM REVERTERE, MISERICOR-
DIAM. ET IVSTICIAM CVSTODI, ET FIDE IN DEO TVO
SEMPER.

Ex his uerbis facilè intelligi potest, quid acciderit Prophe-
 tæ concionanti de futura deuastatione Regni Israelis propter Obiectio
uulgi.
 mendaces cultus diuinos. Populus enim procul dubio obiecit
 ei Sanctum Patriarcham Iacob, dicens: Quid tu nobis toties de
 deuastatione Regni nostri prædicas? Patriarcham habemus pi-
 um, Iacob, qui Deo fuit acceptissimus, & cuius semini promi-
 sit hanc terram perpetuò possidendam? An non pollicitus est
 Patriarchæ huic nostro se semen ipsius tanquam stellas cœli, & a-
 renam maris multiplicaturum? Quomodo igitur fieri posset, ut
 ex hac terra nostra eijceremur & funditus deuastaremur? Si no-
 stro Patriarchæ Deus tam propicius fuit, ut ei promitteret ter-
 ram & multiplicationem seminis, cur nobis posteris eius hanc
 promissionem non seruaret? Ad hanc ergo obiectionem O-
 seas respondet, dicēs, Verum est, habuistis quidem Patriarcham,
 qui Domino Deo nostro fuit acceptissimus, & cui exhibuit se
 Deus beneuolentissimum, clementissimumq;. Primùm enim
 cùm nascerentur simul Esau & Iacob, atq; Esau primus ueniret,
 tenuit Iacob plantam fratris sui Esau. Vnde & Iacob est uocatus,
 Neq; id temere, sed sic administrante Deo factum esse existime-
 mus. Naturaliter enim fieri non potest, ut in Natiuitate gemel-
 lorum alter alterius plantam manu arripiat & teneat, eo q̄ uires
 adhuc sint imbecilliores. Necessè igitur est, quòd Deus (ut dixi)
 sic ordinauerit, & hoc factò significare uoluerit, quòd maior ser-
 uiturus sit minori, & quòd Iacobi posteri præualituri sint con-
 tra posteros Esau.

Deinde cùm ex Mesopotamia unà cum uniuersa sua fami-
 lia proficisceretur, metuit sibi à fratre suo Esau, & cùm fluuium
 traiecisset, luctatus est (sicut scribitur Genesis cap. trigesimo se-
 cundo) cum uiro, siue cum Angelo Dei totam noctem, do-
 nec præualeret, uinceret, atq; cogeret eum ad benedicendum
 sibi. Vnde & nomen Israelis reportauit, quod significat uicto-
 rem Dei, Quoniam (inquit Angelus) si contra Deum fortis fui-
 isti, quanto magis contra hominem præualebis. Non sentia-
 mus autem nos, hanc luctam tantum fuisse corporalem & ex-
 ternam, sed fuit ardentissima & interna lucta conscientiæ, qua
 colluctatus est cum promissione Dei, & inimicitia quam Esau
 contra eum conceperat.

Cùm enim mandato diuino iussus esset, ut unà cum familia

& omni sua substantia in patriam suam rediret, & iam iam in conspectu haberet patrios lares, Ecce caro uarias cogitationes in conscientia suggessit. Nunc enim obijciebatur ei ira fratris sui Esau uehementissima, qua olim mortem sibi minatus fuerat, & sollicitabat eum ad timorem: sciebat enim hanc fratris sui iram esse perpetuam, & multo ardentio rem quàm alieni. Nunc cum uxores suas, & chara pignora, liberos suos, seruos, ancillas, iumenta, & omnia quæ secum ducebat, consideraret, tales haud dubiè ei inciderunt cogitationes, Quid facias? Tolerabile fortassis esset, si te solum periculis mortis obijceres, sed cur uxores & liberos tecum ducis? Quid si coram oculis tuis stuprarent, & denique occiderentur? Quid si nunc tempus appetisset, de quo parens tuus ad fratrem tuum ira & indignatione erga te accensum locutus est, dicens, Veniet tempus, quando rursum excuties iugum fratris tui de ceruicibus tuis? Cogitauit item, Quid si Deus propter te unum non mutaret ueterem consuetudinem, qua solet iuuare fortiores: frequentius enim accidit, ut imbecillior uincatur à fortiori, quàm fortior ab imbecilliori: Hæ & similes cogitationes procul dubio excruciarunt animum Iacobi per totam noctem, & profectò fuere tela acutissima, quæ transerberarunt cor eius.

Fides Iacobi Patriarchæ tentata.

Sed ex altera parte Fides contra has tentationes colluctata est, retinuitq; Iacobum in uera obedientia mandati Dei, & in fide uera erga promissiones à Deo sibi datas. Et quo plus caro suas cogitationes de ira Esau exaggerabat, tanto magis Fides obedientiam & promissiones diuinas in conscientia Iacobi exaggerabat. Cogitauit enim intra se: Quid mihi molestæ estis uos carnales cogitationes? Et quid conamini me à uera obedientia, & à promissionibus Dei auertere? An non obediendum est Deo? Certè, nisi uelis perpetuo damnari, necesse habebis mandatis eius obsequi. Ex duobus malis minimum est eligendum, Melius est ergo in hoc seculo temporalibus calamitatibus obijci, quàm propter inobedientiam æternos cruciatus subire. Et cur inobedientia & tergiversatione tua Deum ad iram prouocares? An nescis, irascente Deo, omnes creaturas tibi aduersaturas? imò nusquam à malis angelis, & à Satana tutus eris, nisi mandatum Dei exequaris. Fortassis existimas te in alijs locis securè uiuere posse, contempto mandato Dei. At Diabolus ubique est do-

mi,

mi, nec patietur te tranquille uiuere, sed cruciabit te dies noctesque, adeo, ut ira fratris tui Esau præ cruciatibus illis uideatur ludus puerilis. Et quid tibi adeo metuis à fratre tuo Esau? Aut cur falso tibi nescio quæ stupra, & perditiones uxorum, liberorum, & aliarum tuarum substantiarum imaginaris? Cur non potius recordaris mandati, & promissionis Dei? An non Deus iussit ut reuertaris in patriam tuam? An non audiisti Deum dicentem & promittentem tibi: Surge, & egredere de terra hac, reuertens in terram natiuitatis tuæ, & ad terram Patrum tuorum, & ad generationem tuam, Eroque ego tecum? Oblitus tam cito es amplissimæ eius promissionis, qua tibi Deus tuus pollicitus est multiplicationem seminis tui, ut sit innumerable futurum, quemadmodum numerus stellarum præ multitudinem est innumerabilis? Cùm fugeres à facie Esau fratris tui, & abires in exilium, quid quæso, Dominus in Bethel apparens, tecum locutus est? An non dicebat, Noli mi Iacob metuere, Ego tecum sum quo cunque perrexeris, & reducam te in terram tuam cum magna substantia? Cur non credis huic promissioni? An existimas Deum esse infidelem, & non præstaturum quod tibi olim promiserat? An dubitas de eius potentia, quasi non possit præstare, quod semel promisit? Absit à te procul hæc incredulitas. Omnipotens enim est Deus, & multo potentior fratre tuo Esau. Et potest tuum Esau, occurrentem tibi hostili animo, aut subito mutare, aut uno nutu perdere. Quin potius ita cogites atque tibi persuadeas, Deum esse potentem, hominem esse impotentem, Deum esse ueracem, omnes autem homines mendaces, & quia uerax est, reducet te incolumem iuxta promissionem suam ad te dictam. Quia uerò potens est, liberabit te à fratris metu, mutabitque iram eius in beneuolentiam. Macte igitur uirtute esto, & in nomine Domini perge in profectio-
ne tua, quam incepisti, & in qua hæctenus te Deus mirabiliter conseruauit à tuo socero Laban.

Vides acerrimam luctam carnis & fidei in Patriarcha Iacob. Alternis enim pugnarunt, Et nunc caro iratum fratrem obijciens, conabatur ipsius expugnare conscientiam, Nunc uerò fides rursus erigebat, & consolabat eum recordatione uocationis & promissionis Dei. Atque hæc lucta usque ad auroram perdurauit, neque passa est somnum capere Iacobum, donec uel tan-

dem maximo fortissimoq; animo sese promissionib. & uocationi Dei, contēptis omnib. malis & periculis quæ in cōscientia obijciebant, & quæ sanè metuenda erant non tantū sibi, uerū etiam uxorib. & liberis suis, dedit obsequētissimū. Merito igit̃ uocatus est ab angelo Domini Israel. i. uictor Dei, eo q̃ cū hominibus & Deo luctatus est, & præualuit. Oriūtur similes aliquoties luctæ in conscientia piorū, præsertim uerò, quando impij Euangeliū Christi conant̃ delere & persequi quotquot ei nomina sua dederunt. Caro. n. exaggerat omnia externa pericula & damna, dicens: Si manseris in confessione Euangelij de Christo, primò excommunicaberis unà cū uxore, & liberis, atq; omnib. tuis facultatib. exueris. Deinde uxorem & liberos duces in summa pericula, nusq̃ locorum tutus eris, sed quisquis inuenerit interficiet te impunè. Præterea quis scit an Euangeliū illud, quod confiteris, uerum sit Euangeliū, fortassis seductus es hætenus ab illis, qui prædicant hoc Euangeliū. Adhęc, an non potes in corde tuo credere, quod rectum & uerum est, & ore confiteri, quod hominibus placuerit? Næ tu insanus es, qui te propter confessionem Euangelij tot exponis periculis. Contra uerò fides ait: Quid? Tu ne abnegares Euangeliū Christi filij Dei? Tu ne uis fœdifragus fieri erga Dominū Deum tuū? An nescis quid Christus dicat: Qui me negauerit coram hominib. negabo ego eum coram Patre meo cœlesti? Nescis te habere animam? An ignoras esse perpetuam damnationem ignemq; inferni inextinguibilē, in quē conijcient̃ omnes, qui abnegato Christo redeū ad Idolatriam, & impietatem? Si pericula extimiscenda sunt, cur non potius times Dominum, q̃ homines? Vter plus nocere potest, homo, an Deus? Certè Deus, ita. n. ait Christus, Nolite metuere eos, qui occidunt quidem corpus, animæ uerò nocere nō possunt, metuite potius Deū, qui potest corpus & animam perdere & in gehennam abijcere. Et quid prodest uobis, si conseruando corpus, ipsam animam perdatis? An non Christus manifestè ait: Qui propter me relinquit aliquid, centuplum recipiet, & uitam æternam hæreditate accipiet. Fortassis tibi Deus mendacij suspectus est. At non mentitur. Et cur dubitas de ueritate Euangelij? Consydera quæso uerba Christi & Apostolorum eius, & statim uidebis ueritatem Euangelij. Quid uerò mihi de confessione oris & fide cordis obijcis? Non licet aliter loqui, quàm credere.

Lucta in
conscien-
tia piorū.

credere. Tamen coram mūdo uani iudicant, qui aliter loquuntur, & aliter sentiūt, & tu uis coram Deo constare, si aliter loquaris, & aliter credas. Paulus ait, Corde creditur ad iusticiam, ore fit confessio ad salutem. Breuiter, confitendum est quod credis, aut Christus neq; te confitebitur coram patre suo coelesti. Vides quomodo fides pugnet contra carnem. Cum ergo uicerit in te fides, fies & ipse Israel, hoc est, uictor Dei.

Similes luctæ & pugnæ oriuntur in conscientia hominum etiam in alijs aduersis & afflictionibus, uidelicet, in fame, paupertate, infamia, infirmitate, peccatis, & morte, sedulo igitur danda erit opera ut in his pugnis fides reportet uictoriam de carne, sic enim fiet, ut simus ueri Israelitæ, & à Domino Deo nostro per Iesum Christum benedicamur.

Sed redeamus ad Prophetam. Sic enim sequitur, Angelus flebat & obsecrabat Iacob, hoc est, Angelus cū uideret se uictum & superatum à Iacobo, flebili & querula uoce obsecrabat Iacobum, ut se dimitteret, quia (inquit) aurora oritur. Significat autem quòd Iacob iram Dei in Esau sibi propositam & obiectam uicerit, & reddiderit sibi eum beneuolentissimum clementissimūq;. Est & hoc beneficium summum, quòd Deus sinat se uinci fide, & fiat ex irato Deo clemens pater.

Adhæc (inquit Oseas) In Bethel inuenit nos, & ibi locutus est nobiscum, quemadmodum scribitur Gene. trigesimo quinto. Cū enim Iacob ex Mesopotamia in Bethel rediret, apparuit ei Deus secundò benedicens ei. Ego (inquit) sum Deus omnipotens. Cresce & multiplicare. Gentes & populi nationum ex te erunt, Reges de lumbis tuis egredientur. Terramq;, quam dedi Abraham & Isaac, dabo tibi, & semini tuo post te. Sed cur Oseas hoc loco utitur plurali numero dicens, Inuenit nos, & locutus est nobiscum, cū tamen soli Iacobo Deus in Bethel apparuerit, ei que locutus sit? Respondeo, Israelitæ descendunt à Iacobo, & pertinuerunt ad eos promissiones à Deo ipsi Iacobo factæ. More igitur scripturæ, de Israelitis intelligitur, quod ad Iacobum dictum, & ei promissum fuit. Inuenit ergo Deus in Bethel Israelitas, cū inuenit Iacobum, & locutus est cum eis, cū locutus est cum Iacobo.

Hæc aut sunt beneficia, quæ præstitit Deus Patriarchæ Iacob, ex quib. facillè colligere possumus, ipsum fuisse Deo acceptissi-

num, & filij dilecti loco habitum. Sed quid hoc (inquit Oseas) ad uos? Etsi enim Patrem pium Patriarcham Iacobum habetis, tamen quo magis ipse fuit pius, eo uos estis deteriores. Ideoque impietate uestra perditis omnia beneficia, quæ olim collocauit in Patriarcham uestrum. Primò enim, olim facie ad faciem ostendit se ei Deus: à uobis autem propter impietatem auertet faciem suam. Deinde promisit quidem Iacobo parenti uestro hanc terram possidendam, uos autem propter uarias uestras iniquitates eiiciemini ex ea. Postremò promisit ei multiplicatio nem seminis sui, sed uestrum semen delebitur. Non est ergo quod de Patriarcha uestro gloriemini.

Quid ergo (inquis) Num res nostræ prorsus deploratæ sunt? Respondet Propheta, potestis rebus uestris adhuc consulere. Non enim pœnituit Deum promissionis suæ, quam olim Iacobo & semini eius fecit, sed cupit bona fide præstare uobis quod pollicitus est, Tantum uos ita gerite uos, ut possitis promissionis participes fieri. Deus enim Zebaoth, qui sibi ipsi hoc memoriale fecit, ut uocet Dominus omnipotens, & Dominus omnium creaturarum, Is inquam Dominus, uos uocat, uos hortatur, uobis mandat, ut resipiscatis, præcipue uerò regi uestro, & aulicis suis, ait, reuertere ad Deum tuum, misericordiam & iusticiam custodi, id est, clemens quidem sis uiduis, pupillis, orphanis, pauperibus & oppressis hominibus, Iustus uerò & seuerus iudex erga malefactores & transgressores legis diuinæ. Imitare tuum Patriarcham, & in omnibus tuis periculis confuge, non ad Aegyptios aut Assyrios, sed ad solum Dominum Deum tuum, tunc enim & ipse præualebis Domino, sicut olim Iacob, & auxilio eius poteris retinere, & possidere gentem, & Regionem tuam.

Seuerissimam hanc admonitionem fuisse necesse est, cum proponat ei Propheta Nomen Dei Zebaoth, Et Dominus memoriale eius. Nam quotiescunq; apud Mosén Deus aliquid seueriter præcipere uoluit, quod sine maximo peccato intermitteri non potest, semper solitus est suum nomen, uel titulum præponere, & dicere, Ego sum Dominus, ut Gen. xxxv. Ego sum Dominus omnipotens. Cresce & multiplicare. Et Leuit. xxv. Ego Dominus Deus uester, non faciatis uobis sculptile &c. Sed nihil hac seuera exhortatione apud induratos & duræ ceruicis Israelitas efficit Propheta, Ideo pergit dicens.

CHANAAN IN MANV EIVS STATERA DOLOSA: CALVMNI-
AM DILEXIT.

AITQUE EPHRAIM: VERVNTAMEN DITATVS SVM, INVENI
DIVITIAS MIHI IN OMNIBVS LABORIBVS MEIS, NON INVE-
NIENT IN ME INIQUITATEM ET PECCATVM.

AT EGO DOMINVS DEVS TVVS E TERRA ÆGYPTI. AD-
HVC HABITARE FACIAM TE IN TABERNACVLIS, SICVT IN
DIEBVS FESTIVITATIS.

ET LOCVTVS SVM AD PROPHEAS, ET IDEO VISIONEM
MVLTIPICAVI, ET PER MANVM PROPHEGARVM PROPO-
SVI SIMILITVDINES.

Post exhortationem, deliberat secum Oseas. Videns autem summam impietatem Regni Israelis, iterum ad increpationem redit, quasi diceret. Quid multis opus est exhortatione ad pietatem? Video operam & oleum perdita esse in hoc impio populo. Etsi enim millies exhorteris ad pietatem, tamen nihil meliores fiunt, sed redduntur subinde peiores, & degenerarunt profus à suo Patriarcha Iacobo, & per omnia facti sunt similes gentibus illis, quas deus propter multiplicia peccata eiecit ex terra. Allusione autem quadam increpar Propheta populū, quod præter alias iniquitates, dolis quoque & deceptionibus proximum circumueniant. Et ait: Quid plura dicam? Habitas in terra Chanaan, Et es Chanaan, hoc est, Primum impietatem gentium illarum, quæ in Chanaan olim habitarunt, imitaris, nihilo es melior eis, sicut etiam Ezechiel cap. decimosexto de Ierusalem ait, Radix tua & generatio tua terra Chanaan, pater tuus Amorreus, & mater tua Chetæa. Deinde quia Chanaan Mercatorem significat, tu quoque pro more mercatorum stateras habes iniquas, & pondera dolosa, quibus proximum circumuenis, Nulla reperitur apud te æquitas. Alter alterum circumuenit quoquo modo potest, neque est apud vos modus aut finis imposturarum. Et dicam sanè quod adhuc grauius est, quando obijciuntur vobis Idololatria & imposturæ uestræ, tantum abest ut resipiscatis, ut etiã de diuitijs quas Idololatria & iniquitate acquisiuitis, gloriemini, dicentes. Quid? qua fronte dicere audes nos impiè, & iniquè hætenus in Regno nostro egisse? An non uides omnium rerum nostrarum statum foelicissimum? Diuites facti sumus nimis, Nec est quod nos imposturæ alicuius accuses. In negocijs enim & mercibus nostris, nulla est iniquitas. Quod si iniquè ageremus, putas Deum hætenus nobis tot, tantas.

que diuitias dedisse? An non Lex Dei dicit: Maledictus qui non custodit uerba legis. Maledictus inquit sit in domo, in horreis, in agro, & in omnibus uijs suis? Nos autem fruimur omni benedictione Dei, & abundamus diuitijs, quas cultibus, & negotiationibus nostris parauimus. Non ergo impiè, neq; iniustè, sed piè, & prudenter egimus.

Conatū ex
euentu æ-
stimare.

Hoc loco describitur nobis peruersum humanæ rationis iudicium. Solet enim ratio conatus suos ex euentu externo æstimare. Si euentus fuerit foelix, iudicat conatum fuisse iustum, si fuerit infœlix, iudicat conatum fuisse iniustum. Hinc Satan summis uiribus conatur impietatem reddere foelicem: homines enim foelicitate seducti paulatim incipiunt iniquitatem iustificare. Sic amici Iob, quia uidebant in ipso infœlicem rerum euentum, pronuntiabant facta ipsius fuisse iniusta. Sic Pharisæi & Scribæ uidentes euentum Christi esse infœlicem & turpem, iudicabant causam eius iniquam, Ideo clamabant, Si est filius Dei, descendat de cruce, hoc est, quia seipsum liberare non potest, impius & hæreticus sit necesse est. Contra Israelitæ suas impietates iustificabant, eo quòd in his omni prospera fortuna uerent: fieri enim non posse existimabant, ut impietas esset foelix, quemadmodum etiam Ieremiæ uigesimo quarto, & supra capite secundo huius Prophetæ, ostensum est. Sed fides longè aliter iudicat. Non enim secundum externam uel foelicitatem, uel infœlicitatem, sed secundum uerbum Dei de rebus iudicat. Quòd si inuenerit uerbo Dei aliquid esse mandatum, iudicat illud pium & iustum, etiam si euentus eius sit infœlicissimus coram mundo. Si uerò uideat aliquid uerbo Dei prohibitum, iudicat esse iniquissimum, etiam si euentus fuerit foelicissimus.

Fidei iudi-
cium de re-
bus.

Clementiæ
diuinæ ex-
emplum.

Sed quia Israelitæ non tantum iniquè agunt, sed etiam impietatem & iniquitatem suam iustificant, uideamus quid uicissim Dominus Deus noster, contra eos agendum suscipiat. Ego, inquit Dominus, eduxi te de terra Aegypti. Quasi diceret. Et si ego optimo iure te propter tuas impietates & iniquitates perdere possem, neque ulla dignus sis Misericordia & clementia, Tamen non agam tecum secundum tuas iniquitates, sed secundum ueterem & innatam meam misericordiam. Quemadmodum ergo ab exitu tuo ex Aegypto, usque ad hoc tempus, omni te clementia & bonitate sum complexus, ita hoc quoq;

quoque tempore tibi benefaciam, tantummodo tu resipiscas, emendes uitam tuam, & serues mandata mea, quod si feceris, habitare te faciam in terra tua, atque replebo te omni bonitate & gaudio, ut lateris tanquam in festiuitatibus, aut in festo Tabernaculorum, quod maximo gaudio peragi solet, sicut scriptum est Deuteronomij decimosexto. Et ut uideas me ex animo cupere tuis rebus consulere, & omnis tuæ iniquitatis uelle obliuisci, Ecce Prophetas meos ante tempus deuastationis ad te hoc consilio mitto, atque Spiritu sancto meo uarijs uisionibus & signis orno, ut te ad Resipiscentiam hortentur. Non enim sum Deus uolens mortem peccatoris, sed cupio ut peccatores resipiscant & uiuant. Malo esse Misericors quàm seuerus Iudex. Obsequamini ergo Prophetis meis & resipiscite, ut futurum malum deuastationis uestræ effugiatis.

Quod Dominus hoc loco Israelitis suis concionatur, existimemus etiam nobis Germanis dictum esse. Quid enim? An existimas Deum frustra nostro hoc tempore reuelasse Euangelium suum. Aut putas Nouos (ut uocantur) concionatores temere & suo arbitrio Euangelium prædicare? Aut quid tandem de Euangelio iudicas? An nesciente Deo dices Euangelij cursum incoepisse? Imò sic habeto, Hanc Euangelij prædicationem, signum esse impendentis calamitatis, iuxta illud Amos Prophetæ: Nunquid rugiet Leo in saltu, nisi habuerit prædam? Nunquid dabit catulus Leonis uocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit? Consulat ergo unusquisque suis rebus, & sibi ab impendentibus calamitatibus caueat: Non enim frustra Rugit Dominus per prædicatores Euangelij sui, sed hoc suo Rugitu significat impendere ceruicibus nostris magna mala. Sed quia ante calamitatem Prophetas, hoc est, concionatores Euangelij sui ad nos mittit, significat eo ipso, Quòd si nos resipiscamus & uitam nostram emendemus, paratus sit ad exhibendam nobis omnem suam clementiam, & ad abijciendam iram suam, quam contra peccata nostra conceperat. Resipiscamus ergo, ut & nos in tabernaculis & sub uite nostra quietam & lætam uitam, tanquam in festiuitatibus agere possimus.

IN GILEAD EST INIQUITAS, PROPECTO VANITAS
FACTI SVNT. IN GILGAL BOVES IMOLANT.
ETIAM ALTARIA EORVM SVNT, SICVT ACERVI

LAPIDVM IN SVLCIS AGRORVM.
 ET IACOB FVGIT IN REGIONEM SYRIÆ, ET SERVVIT
 ISRAEL PROPTER VXOREM, PROPTER VXOREM INQVAM
 CVSTODIVIT GREGEM.
 PER PROPHETAM EDVXIT DOMINVS ISRAEL EX ÆGYPTO, ET
 IN PROPHETA SERVATVS EST.
 SED EPHRAIM AD IRACVNDIAM ME PROVOCAVIT IN AMARI-
 TVDINIBVS SVIS, IDEO SANGVIS EIVS SVPER EVM, ET OPPRO-
 BRIVM EIVS REDDET EI DOMINVS DEVS SVVS.

Prophetica
 rum conci-
 onum fru-
 ctus.

Dixit Oseas Dominum Prophetas suos misisse, ut popu-
 lum ad pœnitentiam hortarentur, hac enim sola posse eos effu-
 gere futurum supplicium. Quid ergo uerbum Domini apud
 Israelitas effecit? Si paucitatem piorum respicias, multum fieri e-
 nim non potest, ut uerbum Domini absq; fructu prædicetur,
 etiamsi mundus usum, & fructū illum non uideat. Deus enim
 data opera abscondit suos electos à mundo ne agnoscantur. Si
 autem multitudinem impiorum, & externam rerum speciem
 consideres, nihil planè profecerunt Prophetę suis concionibus,
 sed quo studiosius Israelitas ad pœnitentiam sunt exhortati, eò
 deteriores subinde sunt redditi. Præcipuè uerò in Gilgal regna-
 bat summa impietas. Incolæ enim huius loci, & alij qui illuc pere-
 grinabantur, erant propter Idolatricos suos cultus profus uani,
 inutiles, & nihili homines. Quod intelligendum est, uel de Ra-
 math Gilead ciuitate sacerdotali, cuius supra capite sexto facta
 est mentio: uel de monte Gilead, ubi quondam Iacob cum so-
 cero suo Laban percusserat fœdus, & hostias imolauerat. Vnde
 ad exemplum Patriarchæ, Israelitæ etiam illic cultum sacrificij
 instituerant, sperantes, quia Iacobi sacrificia illo in loco Deo pla-
 cuissent, etiam sua acceptiora fore Deo, quàm si in alijs locis of-
 ferrent. Alij aliter hunc locum intelligunt, Si Gilead uana fiet, &
 deuastrabitur, non aliundè fiet, quàm q̄ sacrificantes illic uani fa-
 cti sint. hoc est, Si Gilead aliquando deuastranda & solo æquan-
 da est, sciamus nullam aliam causam deuastrationis esse, quàm
 impios cultus illos, quibus se homines illo in loco inquina-
 runt, & inutiles facti sunt. Non solum autem peccatur in Gilead,
 uerum etiam in Gilgal. Etsi enim in eo loco populus Israel olim
 circumcisus est, quando scilicet proficiscebatur in terram Ca-
 naan, Iosue quinto, atque ibi celebrans Pascha, cultum tum tem-
 poris Deo gratissimum præstitit, tamen cum Israelitæ post oc-
 cupatam terram suam, in eodem loco, sine expresso mandato
 Dei,

Gilgal lo-
 cus celebris
 idololatria

Gilead.

Cultus in
 Gilgal &
 Gilead.

Dei,

Dei, & ex mera hypo crisi, sacrificarent, omnibus modis displicu-
it Deo, ideoque pro summo scelere hæc sacra reputauit. Multi-
plicant porrò peccata sua Israelitæ, eo quòd non sunt contenti
contra mandatum Dei in Gilgal & Gilead sacrificare, sed omni-
bus in locis, in quibus copia esset lapidum, ædificant altaria, ad
laudem nominis diuini. Cultus præterea illos, quos Deus in
Lege sua præscripserat, fastidiebant, suos uerò electitios ad atra
usque extollebant, eosque exemplo Patriarcharum suorum de-
fendebant, dicentes: Cur non sacrificaremus illis in locis, in
quibus constat maiores nostros sacrificia obtulisse? Et quia pla-
cuerunt eorum sacrificia Deo, non dubitamus quin & accepta
ei sint nostra, que ipsorum exemplo Domino Deo nostro offe-
rimus? Sed toto cælo errarunt Israelitæ. Si enim uolueris Deo
gratum & acceptum cultum præstare, non sufficit, ut exem-
plum Patriarchæ, aut alterius sancti imiteris, neque sufficit, ut ad
laudem, & gloriam nominis diuini, & (ut loquuntur) ex bona
intentione fiat, sed requiritur expressum uerbum siue manda-
tum Dei. Etsi igitur Patriarchæ in Gilgal, & interdum in sulcis a-
grorum ædificarunt Altaria, non tamen licuit posteris exem-
plum maiorum suorum sequi: his enim præceperat Domi-
nus ut non in quouis loco, sed in illo tantum sacrificarent,
quem elegisset Dominus.

Cultus di-
uinus de-
bet habere
uerbum &
mandatū
Dei.

Cæterum, Impietates & iniquitates illæ quibus peccauerant
Israelitæ, eò detestabiliores sunt, quo maiora fuerunt beneficia
quæ Deus contulit eis. Quanto enim maius est beneficium,
tanto maior est iniquitas eorum, qui beneficium acceperunt
& se non gratos ostendunt: ideo enumerat Oseas beneficia que
Deus olim Israelitis contulit, & confert ea cum impietate & ini-
quitate huius populi, ut fiant conspectiores. Facit autem hoc
consilio, ut uel tandem grauitatem scelerum suorum cogno-
scentes resipiscant. Ita ergo ait: Iacob fuit in Regione Syriæ.
hoc est, Vide mihi quæso, quibus miraculis Deus hunc popu-
lum Israel ex paruis initijs, ad maximam & clarissimam maiesta-
tem euexerit. Primum enim Patriarcha Iacob, qui & Israel, à
quo cognominantur Israelitæ, necesse habuit patriam suam re-
linquere, & propter iram fratris sui Esau, qui ei mortem mina-
tus fuerat, in exilium proficisci. Deinde tanta erat paupertate
onustus, ut baculo tantum comitatus Iordanem transferit. Li-

Beneficio-
rum Dei
cum impie-
tate Israeli-
tarum
collatio.

Iacob Pa-
triarcha.

benter magnis diuitijs caruisset, modò uictum & amictum habere potuisset, neq; aliud tunc temporis à Deo petierat. Adhæc cum ad auunculum suum Laban uenisset, coactus fuerat pro duabus uxoribus durissimam seruitutem seruire quatuordecim annis, propterea quòd dotem nullam à parentibus haberet. Breuiter, pijsimus quidem fuerat Iacob, sed idem etiam fuerat pauperrimus. Nihilominus tamen à Deo tam liberaliter & clementer fuerat benedictus & ditatus, ut ipsemet ingenuè confiteretur coram Deo, se tantas diuitias ne somniare quidem potuisse. Ita enim ait, Minor sum ò Domine omnibus miseracionibus istis, & ueritate tua, quam expleuisti seruo tuo. In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior. Vides quàm miserabiliter Deus hunc populum respexerit atq; multiplicauerit?

*Seruitus in
Ægypto.*

Præterea, Israel cum in Ægypto esset durissima seruitute sub Rege Pharaone premebatur, præceperatque Rex, ut omnes masculi Israelitarum recens nati interficerentur. Proposuerat enim se totum Israellem successu temporis deleturum. Nec erat in uniuerso mundo, qui ex hac Tyrannide, & seruitute Israelitas liberare potuisset, sed prorsus actum atque conclamatum cum eis erat. Deus autem misertus eorum, misit Mosen Prophetam, qui eos ex Ægypto ualida manu educeret atque liberaret, non tantum ab hostibus, uerum etiam ab ira Dei. Nisi enim Moses intercessisset pro eis, iam pridem propter Idololatriam fuissent à Deo deleti.

Postremò, quanto magis mundus contra Israelitas insaniebat & cuperet eos funditus extirpare, tanto magis Deus defendebat, atque multiplicabat eos, tanquam stellas cœli & arenam maris. Denique subinde suos Prophetas misit, qui eos in medijs suis hostibus & calamitatibus consolarentur. Quid sunt beneficia, si hæc non sunt? His autem omnibus contemptis & neglectis, Ephraim siue Israelitæ, prouocant Deum ad iracundiam amarissimis suis facinoribus, hoc est, non simpliciter peccant, sed talia admittunt peccata, quæ originem suam ducunt ex amarissimo corde, & quæ Deum ad amaritudinem quoque prouocant. Quapropter sanguis eorum (inquit Dominus) super ipsos dispergetur, id est, patientur pœnam dignam suis facinoribus, & retribuet eis iuxta merita sua. Nam hostes, qui prope-

diem

diem Regionem ipsorum deuastabunt, ita cum ipsis agent, ut sanguis de capitibus eorum defluat. Et quia ingentia, & horribilia perpetrarunt peccata, ideo Deus eos horribiliter quoq; perdet. Nam non tantum coram ipso Deo, sed coram uniuerso mūdo confundent, sicut minatus fuerat eis Deus Deut. c. xxvj.

CAPVT XIII.

CVM LOQUERETVR EPHRAIM HORRENDA EXTVLIT
CAPVT SVVM IN ISRAEL. DELIQVIT IN BAAL, ET
MORTVVS EST.

NVNC VERO ADDIDERVNT, VT PECCARENT, QVIA
FACIUNT SIBI CONFLATILE DE ARGENTO, QVASI SIMILITVDINEM IDOLORVM, FACTVRA ARTIFICVM TOTVM EST, ET DE EIS DICVNT: IMOLATE HOMINES VITVLOS ADORANTES.

IDCIRCO ERVNT VELVTI NVBES MATVTINA, ET SICVT ROS MATVTINVS ABIENS, SICVT PALEÆ QVAS VENTVS IN AREA DISPELLIT, ET SICVT FVMVS QVI EGREDITVR DE FVMARIO.

Testatur liber tertius Regum capite duodecimo, Quòd post mortem regis Salomonis, uniuersus Israel congregauerit se ad Rehabeamum legitimum successorem Regni, & petierint ab eo, ut onus, quod Salomon parens eius imposuerat ipsis, mitigaret. Cùm autem Rehabeam petitioni eorum satisfacere noluerit, inceperint tumultuari, & seditionem horribilem mouere, dicentes horribilibus uerbis, Quæ nobis pars in Dauid, uel quæ hæreditas in filio Isai? Vade in tabernacula tua ò Israel, Nunc uide domum tuam Dauid.

De hoc negocio ergo sine dubio loquitur hoc loco Propheta Oseas. Nam cum Ephraim, hoc est, Ierobeam oriundus ex familia & Tribu Ephraim, populum instigaret, ut horribilibus & seditiosis uerbis familiam Dauid alloqueret, constitutus est hac occasione, primum quidem in Regem Israelis. Deinde uerò, excogitato consilio, quo populum in obedientia retineret, ædificauit excelsum, in quo coleretur Baal. Mortuus est ergo in peccatis suis, iuxta illud, Vita beata, exitus beatus, uita mala, exitus malus. Intrauerat enim in Regnum suum fraude & dolo. Regnauerat summa cum impietate, & occasio fuit extremæ Idololatriæ, quam ipse (ut dixi) ad confirmandum, & retinendum Regnum instituerat. Mortuus est ergo unà cum familia

Ierobeam.

Israëlitariū
peccata.

Cultus ui-
tulorum.

sua, ita ut non sit relictus ex ea, qui mingeret ad parietem. Sicut autem Rex ipse miserè interiit, ita etiam miserè deuastabitur & delibit uniuersum Regnum eius. Etsi enim Deus ipse ita ordinauerat, ut decem tribus deficerent à stirpe Salomonis, tamen populus non ex fide uerbi Dei, sed temeritate quadam & per seditio- nem defecerunt, atque peculiare Regnum constituerunt. Neque hoc tantum, sed instituerunt quoque in hoc Regno Idololatriam omnis generis, seruiens Baal, præcipuè uero Rex Achab, sicut testatur scriptura. Miserrimè ergo & horribiliter peribunt, & morientur. Nec in Baal solum peccarunt, uerum etiam addiderunt aliud peccatum. Nam fecerunt conflalia de argento, similia uitulis aureis, quæ prostabant in Bethel & Dan, instituentes ea, ut coram illis peragerentur sacra, dicentes in super & confitentes ingenuè, Quòd si quis filium suum, ad colendos uitulos imolaret, præstaret summum cultum Deo. Et ut summatim, quod res est, dicam, ficticios suos cultus, & sacrificia sua propria adinventionem instituta, ad astra usque extollebant, & Deo acceptissima esse credebant, cum tamen nihil aliud essent, quàm opera manuum artificum. Ingeniose quidem & artificiose sculpti, exornati atque ex preciosissimo metallo conflati erant eorum uituli, sed quid aliud fuerunt, quàm opera artificum? Imò quid aliud fuere quàm summa coram Deo abominatio? Non enim placent Deo cultus illi, qui non sunt uerbo suo mandati & instituti, proinde non potuit cultus Deo gratus ex uitulis aut alijs imaginibus fieri.

Missã Papi-
stica abomi-
natio
corã Deo.

Idem de Missã Papistica dicendum est. Etsi enim constat multis bonis partibus, atque ex eis ingeniose confuta, atque ad gloriam nominis diuini, nec non ad expiationem peccatorum uiuorum & mortuorum, instituta est, Tamen coram Deo est abominatio, & blasphemia unicus sacrificij Domini nostri Iesu Christi. Deus enim Pater unicum sacrificium, non illud quod quotidie in Missã offertur, sed quod semel in cruce filius eius unigenitus peregit, accipit pro satisfactione, & expiatione peccatorum nostrorum. Fieri igitur non potest, ut placeat ei opus Messia ad expiationem peccatorum excogitatum, & ab hominibus confectum.

Quid autem (inquis) sequitur impios cultus & Idololatriam? Nihil aliud, quàm perditio, & deuastatio. Ita enim inquit

Oseas,

Oseas: Erunt ueluti nubes matutina, & sicut Ros matutinus, hoc est, Regnum Israelis propter multiplicem suam Idololatriam euanesceat, ut nescias, quò tandem peruenerit. Matutina nubes, & Ros matutinus, breui durant tempore, oriente enim sole euanescent, ut planè nihil istorum reliqui fiat. Similiter paleæ à uento dissipantur, & hinc inde disijciuntur, ut nusquam compareant. Fumus quoque cum primum de fumario emittitur, sic dilatatur, & exaltatur, ut uideatur non tantum totum aerem impleturus, uerum etiam cœlum conscensurus, sed si paruulo uento affletur, sic uno momento dispergitur & dissipatur, ut ne uestigium quidem eius reliquum maneat. Aptissimæ hæ sunt similitudines, quibus Oseas depingit interitum impij Regni Israelitici. Et quod accidit huic Regno, idem ferè omnibus Monarchijs, Babylonica, Persica, Græcæ & alijs usu uenit. Euanuerunt enim quemadmodum Nubes, Ros, paleæ, & fumus, quorum ne uestigia quidem apparent.

Similitudines à nube, rore, paleis & fumo.

EGO AUTEM DOMINUS DEVS TVVS EX TERRA ÆGYPTI, ET DEVM PRÆTER ME NESCIES, ET SALVATOR NON EST PRÆTER ME.

EGO NOVI TE IN DESERTO IN TERRA SITIBVNDATA. IVXTA PASCVA SVA SATVRATI SVNT. SATVRATI AUTEM ELEVAVERVNT COR SVVM ET OBLITI SVNT MEL. ERO ITAQVE EIS SICVT LEO, SICVT PARDVS IN VIA ASSYRIORVM.

OCCVRRAM EIS TANQVAM VRSVS ORBATVS CATVLIS SVIS. ET DIRVMPAM CLAVSRAM CORDIS EORVM, ET CONSUMAM EOS VELVTI LEO, BESTIA AGRI DISCINET EOS.

Quasi dicat. Quid quæso tibi de Israelitis meis boni polliceri poteris, cum ab initio semper mali fuerint? Etsi enim Deus innumerabilia præstitit eis beneficia, tamen non assurrexerunt ex eis ad cognoscendum Deum, & emendationem uitæ suæ, sed facti sunt longè deteriores. Primò, cum liberarem eos olim ex durissima seruitute, qua in Aegypto oppressi fuerant, liberaui eos non tam potenter quàm mirabiliter, ex qua sanè liberatione facilè cognoscere potuerunt, non esse alium Deum & Salvatorem præter me. Deinde in deserto uariè eorum necessitati succurri, pluendo manna de cœlo, aperiendo petram durissimam, ut largam effunderet aquam, dando eis uestimenta & calciamenta, quæ non consumebantur, aut ueterascebant. Adhæc, duxi eos uel tandem ad uberrima pascua, hoc est, in terram Ca-

Liberationes Israelitarum.

naan, in qua abundarunt omnibus rebus. Breuiter, educaui eos tanquam parens filium suum, & defendi eos tanquam pupillam oculi mei. Sed pro his tantis beneficijs, quam fero gratiam ab eis? Nullam nimirum aliam, quàm hanc, de qua Moses in cantico suo (ex quo Oseas hæc sua uerba est mutuatus) loquitur: Incrassatus, & impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo. Eum honorem, quem debuerunt mihi, tribuerunt Idolis Gentium, mei autem sic obliui sunt, ac si nunquam aliquid eis benefecissem. Quales autem olim maiores sese erga me gesserunt, tales se nunc posterius eorum erga me ostendunt: imitantur enim maiorum suorum ingratitude, Idololatriam & iniquitatem. Et de pœnitentia ne cogitant quidem, ne dum eam agerent. Atq; adeo perinde uiuunt, ac si nunquam cum eis per Prophetas essem locutus. Propterea ero eis tanquàm Leo ferox, hoc est, tyrannus sæuissimus, & tanquàm pardus, quod est animal familiare Assyriæ: Nam teste Plinio multi in Assyria sunt pardi, & tanquam ursus orbatus catulis suis. Sumam denique mihi omnes Feras, & Bestias agri, ad exequendum iudicium meum contra hunc impijsimum & ingratisimum populum. Hæ enim discerpent uiscera eorum, & sæuissimo genere mortis eos afficient.

Impietatis
& ingrati-
tudinis pœ-
na.

Liberatio-
nis Ægyp-
tiacæ men-
tio quam
habeat uti-
litem.

Sæpius autem fit mentio in Sacra scriptura liberationis Israelitarum ex Aegypto, Sæpe etiam exprobrant eis Prophetæ beneficia, quæ tum temporis acceperunt quidem à Deo, sed male collocarunt. Quid autem (inquis) ad nos, qui ex Gentibus originem nostram ducimus liberatio ex Aegypto? tamen neque nos, neque maiores nostri ex Aegypto liberati sumus? Multum per omnem modum. Prophetæ enim cum faciunt mentionem liberationis ex Aegypto, respiciunt ad liberationem longè præstantiorem & excellentiorem. Sic enim Ieremias capite decimosexto ait: Ecce dies uenient, dicit Dominus, & non dicetur ultra, uiuit Dominus, qui eduxit filios Israel ex Aegypto, sed uiuit Dominus, qui eduxit Israel de terra Aquilonis, & de uniuersis terris, ad quas eieci eos, & reducam eos in terram suam, quam dedi Patribus eorum. Et capite trigesimo primo. Ecce dies uenient (dicit Dominus) & feriam domui Israel, & domui Iuda foedus nouum. Non secundum pactum, quod

quod pepigi cum Patribus uestris in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti: pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus. Dabo Legem meam in uisceribus eorum & in corde eorum scribam eam, &c. Liberatio autem, quæ præfertur liberationi Israelitarum ex Aegypto, ea est, quæ nobis contigit per Iesum Christum filium Dei. Is enim Morte & Resurrectione sua ex mortuis, omnes filios Dei ex omnibus nationibus & Gentibus congregauit, & liberauit ex captiuitate & Tyrannide non Pharaonis cuiusdam, sed ex Tyrannide peccati, Mortis, Satanæ & Inferni, Atque pepigit cum eis fœdus, quo per Spiritum sanctum renouati, Legem eius summa obedientia obseruant, & in quo promittit nobis, quòd uelit noster esse clemens Deus, & adoptare nos in filios suos, a hæredes cœlestium suorum bonorum. Cùm igitur audiuerimus posthac Prophetas populo suo exprobrantes beneficia Dei, quæ iniquitate & ingratitude contaminarunt, cogitemus eo ipso nobis quoque exprobrari ingritudinem nostram, qua contaminamus & sordidamus liberationem quæ facta est per Christum, Atque sciamus nos quoque eandem manere peccatam, quam hoc loco suis Israelitis denunciat Oseas.

Liberatio
per Christum.

PERDITIO TVA O ISRAEL. IN ME AVTEM AUXILIUM TVVM.

VBI EST REX TVVS? VBI EST SALVATOR TVVS IN OMNIBVS TVIS VRBIBVS, ET IVDICES TVI, DE QUIBVS DIXISTI. DA MIHI REGEM ET PRINCIPES? DEDI TIBI REGEM IN FVRORE MEO. ET ABSTVLI EVM IN IRA MEA.

Excusat Oseas Dominum Deum nostrum, quòd ipse non sit causa earum calamitatum, quæ impendebant ceruicibus Israelitarum, & ait, Perditio tua ò Israel, tantummodo in me auxilium tuum, hoc est, Tu te ipsum perdis, Non est abbreviata manus mea, ut non possit seruare, neque auris mea est aggravata, ut non audiat. Peccata tua opposuerunt maceriem inter me, & te, Tua ipsius culpa peris. Etsi enim uolebam tibi ferre auxilium, iuxta promissiones meas, tamen semper reiecisti me. Primò præstiti tibi auxilium meum per Moysen,

Israelitarum
perditio
unde.

Iudiciari-
us magi-
stratus in
Israel.

Deinde auxiliatus tibi sum per Iosua, & alios Duces. Postremò liberaui te aliquoties per Prophetam Samuelem. Et ut dicam quod res est, Priusquam Regem eligeretis, fui Rex & saluator uester, & eligebam ex uobis tales tantum duces, qui populum non iuxta arbitrium, sed iuxta uerbum meum regerant, defendebamque uos ab omnibus uestris aduersarijs. Sed spreto rerum uestrarum statu, qui sub Iudicibus & Prophetis tolerabilis fuit, elegistis uobis per seditionem Regem, dicentes ad Samuelem, Constitue nobis Regem, qui nos iudicet, sicut & uniuersæ habent nationes. Quibus uerbis nihil aliud significare uoluistis, quam (sicut ipse Deus Samueli interpretatur) quòd non Samuelem, sed me ipsum abieceritis, ut non sim amplius Rex uester. Nam Iudiciarius ille Magistratus, quo olim Respub. Israelis administrata fuerat, fuit constitutio & ordinatio Dei quam ita composuit, ut non Iudices, sed sola Lex Dei, in populo isto dominaretur, Iudices autem, Legis tantum ministri, non Magistri essent. Itaque duplici nomine Deus Israelis Regnum tenebat. Primùm, quòd ordinatione, non humana sed diuina Iudices & Prophetæ constituebantur. Deinde, quòd non arbitria Iudicum pro Legibus erant, sed solum arbitrium Legis & uoluntatis diuinæ per Mosen, aut alios Prophetas manifestatæ, suspiciebatur. Sed hunc Iudiciarium Magistratum Israelicæ reiecerunt, & diffisi de Dei aduersus hostes auxilio Regem petierunt, qui eos ab hostibus defenderet, & ad quem uelut ad tutum Asylum, in omnibus bellicis periculis confugerent. Sed coniecerunt se in maxima quæque pericula. Cum enim homini tribuissent Regiam potestatem, abusus est ea ad Tyrannidem. Et cum ipsius auxilio maximè indigebant, confundebantur, & omni ope eius destituebantur, propterea ridet eos hoc loco Deus per Prophetam, dicens: Vbi nunc Rex tuus, & Principes tui, de quibus dicebas, Da nobis more Gentium Regem? Uoluistis habere Regem, habeatis ergo. Sed dicite mihi, cur uos non eripit ex periculis? Cur uos non tuetur contra Assyrios? Cur non uestra bona, uxores, & liberos uestros defendit? Vah quam bene consuluistis rebus uestris eligendo Regem. Certè uideo uestras res peiori in loco esse, quàm fuerunt hæctenus sub magistratu iudiciario. Cum enim regis auxilio maximè opus habetis, ipsemet omni auxilio destituitur,

nec

nec se ipsum tueri potest. Ecce hic est exitus, & hæc fortuna eorum, qui deserto Domino, aliò se conferunt. Non solum enim (iuxta germanicum Prouerbiū) confunduntur, sed etiam in confusione sua ab omnibus ludibrio habentur. Ridet autem Deus hoc loco suos Israelitas, hoc consilio, ut significet, non esse Regum & Principum, sed solius Domini Dei nostri auxilio & clementia confidendum, Atque medijs legitimis ex uera fide utendum.

Habē den
spot zu dē
schaden.

Sequitur. Dedi tibi Regem in ira mea, & auferam eum iterum in furore meo. Cū Israelitæ peterent Regem sibi dari more Gentium, sicut scriptum est primo Regum octauo, indignabatur Deus, eo quòd se contempto, uellent habere Regem: & dedit quidem eis Saulem, sed maxima indignatione. Postea igitur in furore Domini aufertur. In prælio enim contra Philistinos, in montanis Gilboæ miserè atque crudeliter interficitur. Quod de Saule iam dictum est, de alijs quoque Regibus, Imò de uniuerso Regno Israelis intelligatur. Incepit enim hoc Regnum in ira, propterea quòd Israelitæ deficerent à familia Dauid, & sibi peculiarem Regem Ierobeam eligerent. Desinet ergo in furore, quando scilicet Oseas ultimus huius Regni Rex capietur & occidetur. Inter primum autem regem Ierobeam & ultimum Oseam, nihil nisi laniena perpetua fuit. Aut enim Reges miserè interierunt, aut crudeliter ab insidiatoribus sunt interfecti. Breuiter, quale habuit hoc Regnum initium, tale fuit eius medium & exitus.

Israelitarū
reges dati
in furore
Domini.

COLLIGATA EST INIQVITAS EPHRAIM, ABSCONDITVM EST PECCATVM EIVS.
DOLORES PARTVRIENTIS VENIENT EI, IPSE FILIVS NON SAPIENS: ALIOQVI TEMPORE PARVO STETISSET IN VV-
VA FILIORVM.
E POTESTATE INFERORVM REDEMISSEM EOS, A MORTE REDEMISSEM EOS, FVISSEM MORS TVA O MORS, FVISSEM MORSVS TVVS INFERNE, ET POENITVDO ABSCONDI-
TA FVISSET AB OCVLIS MEIS.

Hactenus Ephraim, hoc est, Incolæ regni Israel non tantum contempserant & dereliquerant Dominum Deum suū, constituendo sibi per seditionem peculiarem Regem, uerum etiam alijs in rebus grauissimè contra Dominum peccauerant. Quia uerò Deus uindictam suam suspenderat, nemo ferè erat, qui recordaretur amplius peccatorum, quæ in electione uel Saulis,

Deus tardi-
tatem sup-
plicij gra-
uitate com-
pensat.

Peccatorū
ratio corā
Deo.

uel Ierobeami contra Dominum designata erant. Placebant igitur sibi Israelitæ, & ita in suis peccatis sibi blandiebantur, perinde ac si omnino non peccassent, aut peccata iam uetustate oblitterata, & obliuioni tradita essent. Oseas igitur hoc loco ostendit longè aliam esse rationem coram Deo quàm coram hominibus, eorum peccatorum, de quibus nulla hæctenus acta sit pœnitentia: Homines enim cito obliuiscuntur peccatorum, quæ contra Deum designarunt, Deus autem bonus (ut aiunt) & patiens est hospes, qui solutionem sumptus diu quidem differt, sed non aufert, etiamsi expectarit centum, aut mille annos. Unde dicit Oseas, Iniquitas Ephraim est fasciculo quodam colligata & probè recondita, ut possit tempore uisitationis depromi, hoc est, Non amplius recordantur Israelitæ iniquitatis, quam designarunt maiores eorum in Electione Regis, & excidit prorsus ex memoria eorum. Deus autem eam tanta diligentia & industria collegit, ut ne minima quidem particula de ea perierit quæ non sit tanquam in fasciculum colligata, & in absconditum locum reposita, ut aliquandiu quidem à furibus sit tuta, non autem prorsus oblitterata, sed ut eam suo tempore iterum reuelare, & condigno supplicio afficere possit. Id quod procul dubio fiet. Nam (ut sequitur) dolores parturientis obruent eos, hoc est, Quemadmodum mulier partui propinqua, subito & nihil tale cogitans, obruitur doloribus partus. Ita Israelitæ præter expectationem, & cum dixerint pax & securitas, opprimuntur repentinis, uarijs adeoque tantis calamitatibus, ut quid facturi prorsus sint ignoraturi. Proferetur enim in apicū iniquitas diu abscondita & adducentur iam olim meritæ pœnæ.

Pœniten-
tiæ bonū.

Discamus ex hoc loco, Deum quidem eorum peccatorum, de quibus agimus pœnitentiam, obliuisci uelle, neq; recordaturum eorum propter Iesum Christū filium suum, quemadmodum in Ieremia aperte testatur, Propiciabor, inquit, iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius. Eorum autem peccatorum, quæ olim designata sunt, & de quibus nullam hæctenus egimus pœnitentiam, prorsus non obliuiscitur, sed in recenti semper retinet memoria, atq; suo tempore dilationem pœnæ grauitate compensabit.

Quæritur autem quid faciendum sit Israelitis, quando repentinis doloribus partus obruentur, & uarijs calamitatibus opprimuntur?

mentur? Ad hanc questionem Deus ipse per Oseam respondet, dicens: Si Israel esset puer intelligens, ac saltem aliqua guttula restaret sanæ intelligentiæ in eo, facile posset sibi in doloribus suis consulere, & inuenire modum, & rationem, ut ne ad paruum quidem tempus necesse haberet stare in ruptura & grauius angere, sed mox liberaretur & gaudio afficeret matrem: hoc est, si Israelitæ intellectu aliquo diuino præditi essent, facile inuenirent rationem, qua se extor tantisque malis extricarent, uidelicet si se conuerterent ad percutientem se, & respicerent, tunc ego me quoque ad ipsos conuerterem & redimerem eos ab Inferno & Morte, & hoc non tantum, uerum etiam mortem & Infernum prorsus auferrem. Vel possunt hæc uerba sic intelligi: O Mors ubi est afflictio tua? ò inferne ubi manebit tua perditio? Actum erit prorsus de uobis. Morti enim auferetur pestis, qua homines hætenus perdidit. Inferno autem perditio, qua homines conatur in æternum perdere, adimetur. Breuiter liberarem ego eos, si respicerent, ex omnibus calamitatibus, neque pœniteret me in æternum liberationis meæ. Nunc autem quia omnis spes respicientiæ eorum perijt, ideo obijciuntur extremis calamitatibus.

Cæterum Diuus Apostolus Paulus in priori sua Epistola ad Corinthios, capite decimo quinto, hæc Oseæ uerba usurpat, & dicit: Quando corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est Mors in uictoria: ubi est mors Victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? Stimulus autem Mortis peccatum est, uirtus uerò peccati, Lex.

Sed quomodo conuenit Paulo cum Osea, Longè enim aliter sonant uerba Oseæ, quàm Pauli? Optimè conueniunt. Oseas enim Israelitis his uerbis concionatur, quòd Dominus redemisset eos de morte, & inferno, atq; ademisset morti & inferno perditiones suas, si respiciissent, & uerbo Dei obediissent. Hoc quid aliud est, quàm quod Deus uoluerit eis, si respiciissent, peccata sua condonare & remittere? ubi. n. peccata remittuntur, ibi morti sua pestis & stimulus, & inferno sua uictoria adempta sunt, siquidem peccatum stimulus est Mortis, & potentia Inferni. Peccatum autem non remittitur, nisi per Iesum Christum: Is enim est coram Deo expiatio peccatorum nostrorum, & uerum propiciatorium,

Oseæ & Pauli conciliatio.

Christus
qualis He-
ros.

Cum igitur Oseas concionetur quod morti ablatus fuisset suus stimulus, & quod hoc fieri potuisset per solum Iesum Christum, necessario sequitur, quod Oseas his uerbis de Christo sit concionatus, uidelicet, quod Dominus Deus noster Israelitis, si resipuissent, sua peccata per Iesum Christum futurum Messiam remisisset, atque a perditione & morte liberasset. Postquam ergo Christus aduenit, atque sua morte pestis fuit mortis, eamque deuicit, gratias agit Paulus Deo, qui dedit nobis uictoriam per Christum. Christus enim Heros ille est, qui uictoriam consecutus est contra mortem, & ei stimulum suum abstulit, hoc est, Christus Iesus is est, qui expiauit peccata nostra, & nos rursus cum Deo reconciliauit, atque uictoriam de morte reportauit. Quod igitur Dominus in Osea tunc receperat, se erepturum nos ex morte & inferno, hoc impletum est partim, quando Iesus Christus filius Dei mortuus & sepultus fuit, atque tertia die a mortuis resurrexit. Et hanc liberationem oportet nos fide apprehendere & credere dum in hac uita uersamur. Non enim uidemus nos a peccato liberatos, sed potius uidemus morte nos abripi, & sentire dolores inferni. Partim uero & re ipsa implebitur, quando corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem, id quod fiet in nouissimo die. Tunc plenissime implebitur, ita ut re ipsa uisuri & experturi simus, quod Christus uere mortem uicerit, & infernum expugnauerit, & quod nouissimus hostis, Mors uidelicet, una cum omni sua dominatione & potestate sit abolita.

INTER FRATRES SVOS CREUIT. VENIET ERGO AVSTER DOMINI E DESERTO ASCENDENS, ET SICCABIT VENAM EIVS, SICCABITVRQVE FONS EIVS, IPSE DIRIPIET THESAVRVM OMNIVM VASORVM EXPETIBILIVM.
DESOLABITVR SAMARIA, QVIA EXACERBAUIT DEVM SVVM, GLADIO CADENT. PARVVLII EORVM ALLIDENTVR, ET FOETÆ EORVM DISCIDENTVR.

Beneficia
Dei erga
Israel.

Antea de peccatis Israelitarum Oseas dixit, quod sint colligata in fasciculum, & deposita apud Deum, ut suo tempore reuelentur & puniantur. Et quod non tantum potuerint deuitare poenam, uerum etiam ipse Deus uoluerit eos a perditione & morte liberare, modo prudentia quadam rem aggressi fuissent, & resipuissent. Nunc autem pergit Propheta, atque exaggerat beneficia, quae Deus in Ephraim & Regnum eius contulit, ostendens

dens, quòd quo maiora fuerunt beneficia, eò horribiliora fore supplicia quæ illaturus ei sit propter impietatem & ingratitude-
nem. Ita enim ait, Ephraim inter fratres suos creuit, &c. hoc est,
propofui hæc tibi promiffiones Dei, quib. te ad refipifcen-
tiam pertrahere conatus fui, fed uideo hac non fuffeciffiffe. Alia
igitur aggrediar uia, & commemorabo beneficia quæ accepiffi,
ut ex commemoratione eorum ad pœnitentiam & emendatio-
nem uitæ tuæ alliciaris. Ita. n. res fe fe habet. Tu Ephraim inter ali-
as tribus Ifrael ualde & fupra modum creuiffi. Initio. n. cum Pa-
triarcha benedictionem in filios fuos diftribueret, pœpofitus es Regnum
Ephraim.
tu, qui pofterior eras, primogenito Manaffæ. Dein de creuiffi in-
ter fratres tuos in Regnum clariffimum & potentiffimū. Nam
non folū primus rex Ifraelis Ierobeam ex tua familia electus fuit,
uerum etiam Regiam aulam fuam habuit in Samaria, quæ in tri-
bu tua fita eft, unde & regnum Ifraelis uocatum eft regnum E-
phraim. Quid igitur funt beneficia, fi hæc non funt? Deuiffet er-
go magnitudo horum beneficiorū te ad ueram obedientiam,
& refipifcentiam excitare. Sed uideo te neq; minis, neq; denun-
ciatione calamitatis futuræ, neq; magnitudine beneficiorū mo-
ueri, fed potius abuti omnibus beneficijs ad impietatem & ini-
quitatem. Propterea (dicit Dominus) ueniet Auffer è deferto a-
fcendens, qui exiccabit uenas, & fontes tuos. Loquitur aut Ofe-
as de Ephraim tanquam uiridi prato, quod irrigat riuulis & fœ-
cundum reddit irrigatione. Commodè igitur addit, quòd per
Auftrum riuuli illi, & fontes exiccandi funt: uult enim fignificare
regem Affyriorum uniuerfum regnum Ifrael adeo direpturum
& uaftaturum, ut à tempore deuafationis huius, in æternū nun-
quàm uires fuas recuperare, aut reftaurari poffit. Et quòd hæc fit
fententia metaphoræ iftius, qua hoc loco Ofeas utitur, intelligi
facilè poffit ex fequentibus. Ita. n. ait: Samaria defolabit. Quare?
quia Deum iniquitate & Idololatria fua ad iram, & indignatio-
nem prouocauit. Ideo ciues eius g^l. d^o cadent: fœtæ mulieres
difcident, paruuli allident. Quod Deus hoc loco minatur, im-
pletum eft per Salmaneffarem regem Affyriæ, ficut teftatur iij.
Reg. cap. xvij.

CAPVT XIII.

CONVERTERE ISRAEL AD DOMINVM DEVM TVVM, QVO-
NIAM CORRIVISTI PER INIQUITATEM TVAM.

TOLLITE VOBISCV M VERBA, ET CONVERTIMINI AD DOMINVM, ET DICITE AD EVM, OMNEM AVFER INIQVITATEM ET ACCIPE BONVM, ET REDDEMVS VITVLOS LABIORVM NOSTRORVM. ASSVR NON LIBERABIT NOS, ET SVPER EQVVM NON ASCENDEMVS, NEQVE DICEMVS VLTRA, DII NOSTRI, OPERA MANVVM NOSTRARVM, QVIA TV DEVS NOSTER, PER TE MISERICORDIAM CONSEQVETVR PVPIVVVS.

Quid ergo? Decretum ne est, q̄ Samaria sit deuaſtanda? Nunquid nō est locus effugij? An nullum ſuper eſt medium, quo tantam calamitatem & deuaſtationem vitare poterimus? Certē reliquus eſt locus, quo tuti eſſe, & effugere poteſtis. Nam quę Prophetę concionant̄, prō magna ſui parte ſunt minæ de futuris malis, quæ poſſunt vitari per reſiſcentiam. Reſiſcentia namq; iram Dei impedit, & futurū malum uel mitigat, uel aufert, ut teſtant̄ exempla uaria in ſcriptura. Ionas olim Niniuitis minatus eſt interitū dicens, Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. Cū aut̄ reſiſcerent Niniuitæ, incolumes ſunt conſeruati. Vnde apud Iere. cap. xvij. ait Dominus: Si gens iſta pœnitentiam egerit à malo ſuo, agam & ego pœnitentiã ſuper malo, quod cogitauit ut facerem ei. Et ij. Paral. cap. ultimo: Mittebat Dñs Deus patrum ſuorum, ad illos, per manum nūciatorum ſuorum, de nocte conſurgens, & quotidie commonens, eo q̄ parceret populo, & habitaculo ſuo. Vides Prophetarum conciones eſſe minas de futuris, & impendentib. calamitatib. quæ quidem implentur propter impœnitentiam & obſtinationem hominū, vitari autem poſſunt per pœnitentiam & emendationem uitæ. Vnde Oſeas inquit hoc loco, Cōuertere Iſrael ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua. Quasi diceret. Haçtenus diſſiſſimas minas uobis iuſſu Domini annunciaui, & de futura calamitate ueſtra, qua potui ſeueritate prædicaui. Deniq; Satanam & infernum uobis propoſui. Negari aut̄ non poteſt, quin (ſi nolueritis reſiſcere & uitam ueſtrã melius inſtituere nolueritis) pœna multò horribilior ſit futura & uos oppreſſura, quàm ego uerbis eam depinxi. At ſi uolueritis, quę ad incolumitatem & pacem ueſtram faciunt, cogitare, facilimè poteritis omnem calamitatem, deuaſtationem deniq; ipſam, effugere & euitare. Cōuertimini ad Dominum Deum ueſtrum, & reſiſcite. Hoc. n. ſumma à uobis poſtulat neceſſitas. Defeciſtis. n. à Domino Deo ueſtro, & corruisti in iniquitate ueſtra. Tempus nūc eſt reſiſcendi. Securis enim ad radicem arboris poſita eſt. Omnis arbor quę

non.

Reſiſcentia aufertur futura mala.

non fert fructum bonum, succidetur, & in ignem conijcietur. Date ergo operam, ut dignos pœnitentiæ fructus feratis.

Sed quomodo (inquis) debemus agere pœnitentiam & nos ad Dominum conuertere? Non requirit Dominus (inquit Oseas) à uobis pecora, non aureos uitulos, non sumptuosas hecatōbas, sed tollite tantum uobiscum ad Dominum uerba, his. n. libenter uult esse contentus. Quæ aut sunt uerba illa? Primū, Confessio peccatorum uestrorū. confitemini Deo, q̄ hactenus impiam & sceleratam uitam duxeritis, & q̄ sitis nebulones intus & in cute. Deinde, preces, Rogate Dominum ut recipiat uos in gratiam per benedictum semen Abrahæ, & ut uobis Misericordia & bonitate sua succurrat. Ad hæc, Gratiarum actio, Non offeratis uitulos stabulorum uestrorū, sed labiorū uestrorum, hoc est, ut interpretatur Apostolus ad Hebræos, hostiam laudis, & fructum labiorum confitentiū nomini eius. Præterea ingenuè confitemini, q̄ non amplius uelitis confidere in Assyrios seu humanam potentiam, & q̄ non uelitis equos ascendere, hoc est, fiduciam uestram in equitatum uestrum collocare. Per se quidem conscendere equos non est peccatum, sed confidere in equorum fortitudinem, est ex equis Idolū facere. Accedit huc, q̄ relinquere etiam debeatis Idola & opera manuum uestrarum, nec ea pro dijs uestris colere. Breuiter, oportet ut bonos pœnitentiæ fructus feratis, ut quod malum est fugiatis, & quod bonū est sectemini, atq; in solum Dominum confidatis, eiq; in omni uita uestra obedientiam præstetis. Dominus. n. est, qui miseretur pupilli, hoc est, misericors est, & eum, qui tanquam orphanus, omni auxilio destitutus est, summa misericordia & beneuolentia tanquam parens filium suum dilectum complectitur. Et hunc paternum erga nos affectum Dei impetrauit nobis Christus Iesus Dominus noster: propter hunc. n. omnibus in ipsum sperantib. uult esse propicius, eosq; ex omnib. periculis eripere cupit.

Pulcherrimū hoc loco habemus modum agenda pœnitentiæ, siue conuersionis ad Dominum, qui nobis maximè est notandus. Acturi. n. pœnitentiam, ita nos geramus. Primò, ut agnoscamus peccata nostra, eaq; coram Deo confiteamur. Deinde ut ex uera fide in Iesum Christū, inuocemus Deum, ut peccata nostra nobis per filium suū remittat, atq; nos in gratiam suam recipiat. Adhęc, ut gratias Deo agamus pro remissione peccatorū,

Pœnitētia
quomodo
agenda.

Modus a-
genda pœ-
nitentiæ.

& misericordia sua, qua nos propter Christū est complexus. Præterea, ut deinceps nobis à peccatis caueamus, & mandatis Dei ex uera fide obediamus. Postremò, ut non meritis operum nostrorum, sed soli Domino Deo nostro per Iesum Christum filium suum unicum confidamus, & nos ei in omnibus periculis tanquàm orphanos, summo nostro parenti fideli oratione commendemus.

SANABO REBELLIONEM EORVM, DILIGAM EOS SPONTANEE,
 QVIA AVERSVS EST FVROR MEVS AB EIS.
 ERO TANQVAM ROS ISRAEL. GERMINABIT TANQVAM LILIVM,
 ET PERTINGENT RADICES EIVS, VELVTI LIBANON.
 IBVNT RAMI EIVS, ET ERIT GLORIA EIVS TANQVAM O-
 LEÆ ET ODOR EIVS TANQVAM LIBANI.
 REVERTENTVR IN VMBRA EIVS, VIVIFICABVNT SEIPSOS VT
 TRITICVM, ET GERMINVBVNT TANQVAM VITIS, MEMORIA-
 LE EIVS SICVT VINI LIBANI.
 EPHRAIM QVID MIHI VLTRA CVM IDOLIS? EGO EXAV-
 DIAM ET RESPICIAM EVM, EGO ERO EI VT ABIES VL-
 RENS, EX ME FRVCTVM TVVM INVENIES.
 QVI SAPIENS EST, INTELLIGET ISTA, INTELLIGENS SCIET
 ISTA. QVIA RECTÆ VIÆ DOMINI, ET IYSTI AMBVLABVNT
 IN EIS. PRÆVARICATORES VERO CORRVENT IN EIS.

Festinat Oseas uel tandem ad finem concionum suarum. Cùm autem hætenus in ijs maxima ex parte fulgurauerit & fulminauerit contra Regnum Israelis & Incolas eius, atq; de futura deuastatione eorum, tam seueras & adeo horrendas calamitates prædixerit, ut eas sine maximo dolore & horrore cogitare, ne dum re ipsa sentire atq; experiri, quis possit. Nunc enim prædixit tantam fore calamitatem deuastationis eorum, ut terque quaterque foelices prædicaturi sint, qui ante aliquot annos mortem obierint, Atq; adeo dicturi sint montib. cadite super nos, & collibus operite nos. Nunc comparauit eos paleis à uento dissipatis, significans eos dispergendos absque omni spe reditus in suam terram. Nunc ostendit paruulos eorum allidendos, & foetas mulieres ab hostibus crudelissimè disseccandas. Breuiter, nullus hætenus modus aut finis minarum horribilissimarum fuit. Fuit autem Prophetæ suum consilium in proponendis hisce minis. Voluit enim populum impium, & obstinatum ad Resipiscenciam excitare, qua sola potuissent omnes prædictas calamitates effugere. Deus enim non uult mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. In fine autem concionum suarum, non agit amplius seuerum, & truculentum concionatorem, Sed Euangelistam suauissimum. Et proponit prorsus paternas, amicas,

Minarum
 Propheti-
 sarū ratio.

& dulcissimas promissiones Dei, quibus Deum ipsum, quantum quantus est, cum omni sua Misericordia, & clementia graphicè describit, Et nescio an usquam in Sacra Scriptura Deus, quantum ad Misericordiam & clementiam eius attinet, melius depingatur. Habet autem iterum Propheta aut Spiritus sanctus in Propheta suas huius dulcissimæ descriptionis Dei causas, quas operæ precium est audire. Prima est, ut quos seuerissimæ minæ suppliciorum hactenus non mouerunt ad resipiscentiam, eos uel saltem dulcissimis amplissimisque promissionibus ad meliorem fructum alliceret. Videmus enim prorsus idem cum hominibus accidere, quod cum arboribus fieri solet. Quædam enim arbores, ut sunt nuces & aliæ nonnullæ, nullum ferunt fructum, nisi percutiantur. Reliquæ uerò si percutiantur pereunt, nec possunt ferre ut durius tractentur. Ita homines alij nil rectè faciunt nisi arguantur & increpentur. Alij autem blandis uerbis, & promissionibus facilius ducantur, quàm ui trahuntur. Secunda, ut pij in Regno Israel, quorum sanè paucissimus fuit numerus, haberent ex quo in periculis, & deuastatione totius Regni, seipso consolarentur, ne in calamitatibus desperarent, sed scirent temporalem illam suam calamitatem certissimam secum afferre salutem. Tertia, Quia Resipiscentia

Misericordie Dei causa.

Mandatis Dei cur ad dantur Promissiones.

humanis uiribus fieri nequit, ideo hoc loco addendæ erant exhortationi ad resipiscentiam, aliquot promissiones, ut ex fide earum, uis concipiatur ad resipiscentiam agendam, & ueros fructus eius ferendos. Hæc enim solennis est consuetudo Dei, ut mandatis, & præceptis suis, homini factu impossibilibus, adiungat dulcissimas promissiones, ut fiant homini fidem adhibenti promissionibus possibilia. Sic olim præcepit Abraham, ut relinqueret patriam & cognationem suam, atque proficisceretur in terram quam esset ei ostensurus. Quia uerò impossibile est ut homo ex uiribus suis parentes, & omnia quæ possidet relinquat, præsertim cum non uideat recompensationem, & meliorem conditionem aliquam, ideo addit Deus mandato, promissionem dulcissimam dicens. Ego ero tecum, quo cunque perrexeris, faciam te in gentem maximam. Et, Benedicam benedicentibus tibi, magnificaboque nomen tuum &c. Audiens igitur Abraham promissionem hanc, eamque fide apprehendens, facillimè per fidem potuit præstare id quod prius absque fide uide-

batur uiribus suis impossibile.

Sicalias præcipitur: Da ei, qui petit à te, & uolenti mutare à te, ne auertaris. Vetus autem Adam uidet hoc suis uiribus esse impossibile, & metuit egestatem, si huic mandato obediat atque sua alijs largiatur. Adiecit ergo Dominus huic mandato promissionem, dicens, Dominus esuriens cibam, & dat ei escam tempore opportuno. Quicumq; ergo hanc promissionem fide apprehenderit, is per fidem donabitur spiritu spontaneo ad obediendum huic mandato & ad benefaciendum pauperi.

Audiamus aliud exemplum. Christus ait: Si quis uenit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Odisse autem parentes, uxorem, liberos, fratres & sorores, atque a deo uitam ipsam relinquere, Adamo ueteri impossibile prorsus est. Addita igitur est à Christo promissio amplissima. Omnis (inquit) qui reliquerit domum, uel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, cētuplum accipiet, & uitam æternam possidebit. Quicumq; ergo huic promissioni credit, is per fidem donatur Spiritu sancto, cuius uirtute non solū poterit, uerum etiam paratus erit ex animo relinquere omnia propter Christum.

Resipiscen-
tibus opus
est auxilio
Spiritus
sancti.

Sic etiam hoc loco, In principio enim huius decimi quarti capituli, hortatus est Oseas populum Israeliticum ad resipiscenciam dicens: Conuertere Israel ad Dominum. Sed conuerti ad Dominum humanis uiribus per se est impossibile, ut testatur Ieremias cap. x. Scio Domine, quia non est hominis uia eius, nec uiri ut ambulet, & dirigat gressus suos. Et capite trigesimo primo. Conuerte me Domine, & conuertar, quia tu Domine Deus meus, postquam conuertisti me egi pœnitentiam.

Deinde mandatum fuit Israeli, ut confiteatur peccata sua, & Dominum pro remissione peccatorum roget, atque ei pro beneficijs gratias agat. Hæc omnia uerbis quidem oris, ab homine fieri possunt. Fieri autem non potest, ut ex uero & serio corde, homo proprijs suis uiribus confiteatur. Ut enim peccata confitearis, Domini auxilium implores, & ex animo gratias agas, spiritu sancto opus est. Nos autem carnales sumus absque Spiritu sancto,

sancto, ideo proprijs uiribus ex uero corde perficere non possumus, quod Propheta hoc loco præcepit.

Præterea Israeli præceptum est, ut non confidat in humanam potētiam, & equos, & ut abiciat Idola, opera manuum suarum, atq; in solum Dominum pupillorum patrem confidat. Quæ similiter carni impossibilia sunt. Quotidiana enim experientia & sensus ipse humanus docent, auxilia humana in afflictionibus prodesse. Equitatum in bello aliquid posse, & quòd foelices sint qui opera manuum suarum adorant, hoc est, Idolis seruiunt. Opus igitur erit Spiritus sancti auxilio, & uirtute, ut serio omnis confidentia in auxilia humana, equos & Idola abiciatur. Quare in fine per Oseam multæ amplissimæq; promissiones adijciuntur, ut Israelitæ ex fide in illas promissiones concipiant Spiritum sanctum, cuius auxilio & uirtute obediant præceptis & exhortationibus superiorib. atq; Domino Deo suo obediant. Sanabo (inquit) Rebellionem, siue transgressionem eorum, & diligam eos spontaneè, quia auersus est furor meus ab eis. Ingentium profectò bonorum promissio. Quid enim maius & præstantius promitti potuisset, quàm q̄ Dominus polliceur se mera clementia & misericordia populo suo remissurum peccata & transgressionem eius, Et quòd uelit eos spontaneè seu liberaliter, absq; ullis meritis suis diligere, neque peccatorum eorum in æternum recordari? Remisso autem peccato quis nos condemnabit? Et quid est quod homini à Deo dilecto, nocere poterit? Auerfa ira Dei, quid poterit ira mortis, Inferni, & Diaboli nocementi inferre? Cæterum, quia Deus neminem à peccatis sanat, neminem diligit, à nemine deniq; auertit furorem suū, nisi per Iesum Christum filium suum, quem tanto fauore complectitur, ut propter ipsum diligere & saluare uelit, omnes qui in ipsum credunt, hoc autem loco promittat remissionem peccatorum, & auersionem iræ suæ. Ideo necesse est, ut Propheta his uerbis tacitè respiciat in Iesum Christum uenturum, per quem Dominus hæc omnia sit operaturus. Christus enim impetrauit nobis propitium Deum, atq; eum nobis ita reconciliauit, ut uelit nunc deinceps omnibus in Christum filium suum credentibus clemens, & misericors Pater esse, qui propter Christum fide acceptum, peccatorum nostrorum amplius non sit recordaturus, sed pro iustis reputaturus.

Remissio
peccatorū
ingens bonum.

Sequit̃. Ero quasi Ros Israeli, germinabit igit̃ tanq̃ Rosa, & aget
 altas radices, uelut Libani arbores. Rami quoq; eius in oēs partes
 diffundent̃ & propagabunt̃, & erit gloria eius, quasi gloria oliuę,
 de qua autores scribunt, quòd non putrescat neq; senescat, & q̃
 propter succum suum ab omnib. hominibus commendetur.
 Et odor eius tanquam Libani, cuius gratissimi odoris aliàs scriptu
 ra facit mentionem, Eccles. xxxix. Et quid multis opus est uerbis?
 Israel uel tandem in tam proceram, patulam & gloriosam excre
 scet arborem, ut omnes, qui ad umbram eius confugerint, fidu
 cialiter & securè sub ea sint habitaturi. Viuent enim de tritico &
 abundabunt omnib. rebus. Germinabit insuper Israel tanquam
 uitis. Et quemadmodū uinum quod in monte Libani crescit,
 propter suauitatem suam commendatur, atq; facilè omnia alia
 uina sapore suo superat, Ita Israelis quoque mentio fiet honori
 fica, & ab omnibus hominibus summis laudibus efferentur.
 Vult autem Oseas similitudinibus & metaphoris istis quas ab ar
 boribus sumit ostendere, Israelem, (ubi scilicet Deus in gratiam
 cum eo redierit, & peccata eius remiserit, nec non inceperit
 eum omni clementia, & bonitate complecti) fore populum
 gloriosissimum, & cunctis gentibus terræ præstantiorem, Atq;
 adeo sua maiestate, & fœlicitate facilè omnes homines superatu
 rum. Porrò autem hæc promissio, tempore huius nostri Pro
 phetæ impleta non fuit, Indies enim magis atque magis, res Isra
 elitarum decrescebant, donec tandem utrumq̃ Regnum pe
 nitus deuastaretur. Neque completa est eo tempore, quando
 Iudæi ex captiuitate Babylonica liberati, reuersi sunt Ierosoly
 mam. Magnus quidem eorum, qui redierunt, fuerat nume
 rus, sed respectu huius promissionis uix umbra populi fuerunt.
 Quia uerò Deus uerax est, & re ipsa quod promittit præstat, i
 deo necesse est, suo tempore hanc quoque promissionem esse
 impletam. Nullum igitur aliud tempus erit, præter illud, quo
 Iesus Christus filius Dei in hūc mundum uenit, & Euangelium
 suum in toto orbe terrarum sparsit, quemadmodum scri
 ptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines
 terræ uerba eorum. Tunc enim prædicatione Euangelij con
 gregauit **C H R I S T V S** spiritualem Israelem ex omni
 bus Gentibus terræ, & fecit ex eis populum nobilissimum,
 & **D E O** acceptissimum, atque adeo fœlicissimum: ita

Promissio
 nes Israeli
 factæ, sunt
 in Christo
 impletæ.

Christiano
 rum nobi
 litas.

ut

ur non sit nobilior, Deo acceptior, atque foelicioꝝ populus in uniuerso mundo ipsis Israelitis siue Christianis, Non quidem coram mundo nobilitate & foelicitate sunt conspicui, sed contemnantur, & nullis non contumelijs afficiuntur, atque miserrimi sunt omnium hominum, Sed quòd per fidem in Iesum Christum filium Dei nobilissimum, & foelicissimum coram Deo, & omni coelesti exercitu eius, perpetua nobilitate, gloria & foelicitate fruuntur, cùm filij huius seculi necesse habuerint perpetua infamia notari atq; perpetuo interire.

Nondum finis est promissionum, sequitur enim: Ephraim (inquit Dominus) Quid mihi ultra cum Idolis? hoc est, Nullus usus est Idolorum, quare posthac tibi ab eis caueas, noli confidere in ea, neq; implores auxilium eorum, sed me Dominum Deum tuum solum in omni necessitate tua inuoces. Ego enim exaudiam, & dirigam te, ero q; tibi ut abies uirens, hoc est, Virebo semper, neq; unquam marcescam aut arefiam. Sed omni tempore in me inuenies fructum tuum. Suppeditabo tibi omne bonum, in omni quoque afflictione tua me inuoces, & conseris desiderium cordis tui, Quotiescunq; deniq; opus habueris beneficio aliquo, ad me propera, & dabitur tibi quicquid petieris. Hæc est amplissima promissio, in qua Deus totum se nobis captiuum tradit, cum omnibus suis bonis. Quid enim amplius desideramus? Deus qui mentiri aut fallere non potest, dicit se nos exauditurum, & quia promisit exauditionem, ideo potius fractus illaberetur orbis, quàm non præstaret, quod semel promiserat. Cælum & terra (inquit) potius præteribunt, quàm uel minimum iota de promissionibus meis intercideret. Similiter apud Esaiam ait: Exaudiam eos, antequam clamauerint, adhuc illis loquentibus ego audiam. Est & hæc promissio tandem tempore Christi uerè impleta, & manifestata. Ita enim ait: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Et iterum: Petite & accipietis, Quærite & inuenietis, pullate & aperietur uobis. Christus Iesus enim est Mediator ille, qui nobis coelestem Patrem ita reconciliauit, ut non tantum uelit preces credentium exaudire, uerum etiam cupiat eos in omnibus periculis conseruare, atque a deo ex ipsa morte eripere, & æterna foelicitate donare.

Idola fugienda.

Promissio Dei amplissima.

Propositis autem dulcissimis, amplissimisque pro-

missionibus concludit tandem Oseas suas, quas hactenus habuit ad Israelem conciones, dicens: Qui sapiens est, intelliget, quid uelim, & qui prudens est, cognoscet, quid malorum capitibus uestris impendat. Hoc est, hactenus multas, easq; uarias ad uos habui conciones. Primò enim uaticinatus sum de Regni uestri deuastatione, & denunciaui uobis omne genus calamitatis, non ex capite meo, sed ex uerbo Domini, quod uobis propter transgressiones, & ingentia scelera uestra, calamitates omnis generis minant. Deinde exhortatus sum uos ad Resipiscentiam & emendationem uitæ uestre. Postremò proposui uobis dulcissimas quoq; promissiones Dei, quibus omnibus resipiscentibus clementiam & paternum suum animum promittit. Non dubito autem, quin insipientes, stulti & impij homines, omnes has conciones meas ludibrio habituri, & pro innata sua contumacia dicturi sint, peccata sua, aut nulla aut leuiora esse, quàm quæ mereantur iram Dei, aut secum trahant deuastationem totius Regni sui. Existimant enim Satanam non tam terribilem esse, quàm ipsum pictores pingere solent, neq; infernum tam feruentem sicut sacrificuli de eo prædicant, Nullam deniq; fidem adhibitura sint minis Dei, neq; uitam suam emendaturi, Promissiones denique ipsas, quibus Deus conatur eos inuitare ad Resipiscentiam sint contempturi. Breuiter, quo diligentius uerbum Dei eis propositum hactenus fuit, eò ingeniosiores se esse existimant, cum egregiè illud eludere & contemnere sciunt. Hoc enim testimonium de eis fert Scriptura, Quòd nuncios Dei illudant & Prophetas eius subsannent. Sed qui ex Deo & uerbo eius sapiunt, faciliè cognoscent, iram Dei contra transgressiones multo maiorem esse, quàm quæ uerbis exprimi possit. Et cum audiunt Deum per Prophetas suos denūciare suam iram, & ad pœnitentiam exhortari, pro sua sapientia faciliè discent, iram Dei uitari Resipiscentia posse. Credituri ergo uerbo Dei, resipiscant, & futuram calamitatem euitabunt. *Via enim Domini recta, & iusti ambulant in eis. Quæ nam sunt uia Domini? Sunt mandata, & promissiones Dei, his, n. monstrañ uia ad ueram liberationē & fœlicitatē summam. Via huius mūdi sunt spaciose, late, erroneæ, & lōgissimè errant, qui ambulant in eis. Via autē Dñi (ut dixi) hoc est uerba & mandata Dei recta & plana sunt, q̄ ambulat in eis, hic est, q̄ credit uerbo, & obsequit mādati Dei, is recta*

*Via Domini
ni quæ?*

ad liberationem & ueram foelicitatem proficiscitur. In his uijs autem ambulant iusti. Iusti sunt credentes. Ita enim ait Abacuc: Iustus fide sua uiuet. Et Paulus. Arbitramur hominem iustificari non ex operibus Legis, sed sola fide. Ambulant igitur iusti in uijs Domini, quia fide in Christum iustificantur. Iustificati autem obsequuntur mandatis Dei, & consequuntur liberationem, & foelicitatem. Præuaricatores autem, hoc est, Increduli corruunt in eis. Primò enim non credunt promissionibus Dei. Deinde ludibrio habent minas eius. Postremò non custodiunt præcepta, uel Legem Dei. Necessè ergo est, ut subinde implicatiores fiant, donec usque ad infernum perueniant, & perpetuò intereant. Sequamur ergo & nos uiam Domini, & oremus Dominum Deum nostrum, ut nos Spiritu suo in uijs suis dirigat, quò rectà ad foelicitatem penetremus, per Iesum Christum filium eius, qui est Deus laudandus in secula seculorum,

AMEN.


FINIS.

EXPOSITIO IOH. BAPT.

et liberatus est & unum scilicet proficere in die
 eorum in quantum iusti & iustitiam credentes in eius die
 iustis ad hoc iure. Ad hoc in honore in iustis
 non ex operibus legi, sed sola fide. Ad hoc in iustis
 iure Domini, qui habet in Christo iustitiam, in honore
 in obsequium mandatis Dei & consequuntur beatitudinem
 nam scilicet. Tunc autem, hoc est, in credulitate
 continentia castitate caritate non est in honore mandatis Dei
 Et inde iustitia habet in iustis. Postquam non castitas
 neque castitas, sed legem Dei. Nichil ergo est, nisi in
 pietate habet, donec ad iustitiam perveniant, & per
 pietate in iustis. Sed iustitia ergo & nos iustis Domini, & hoc
 iustis Dominum Deum nos iustis, in nos pietate in iustis
 in iustis quod hoc iustitia in pietate per
 iustis Christianis eius, qui est Deus in
 datus in secula seculorum,

AMEN

FINIS



1843-ix

ligatura 18 att. 1. 66.

Exposueret qd omfali
 biliter om i predestinatio
 de qd loquitur in p3 ex dca
 ideo se Et ego resistitabo
en in nomis die. Exponat
sd pmo Am mirabat
go m dei de illo qz dixit
Ego sn pmo dms qui de
celo descendit Et dicitur
none hic e ihs filio ioseph em
nos nomis prem z m rem.
Quomo go dicit hic qz de celo
descendit. Ponit xpi docia
de spndi qbo. Hic ponitur
topm m deoz nrm miratio
Et dicit. 2. qz p her admiratio
ponit 2. ca sedano subditur
ibi Vidit go ihesus ¶ Inta
pms m dñ q m dei credebant xpi
ate hoem pm n z de patre ioseph
qo maria ceptu ignorates
ipm formari vnt se ps et
ideo murrabant de hoc qd dixe
rat Ego sum patre hic e
qui de celo descendit. Et patz
tra Respondit go ihesus et
dicit eis. Hic ponit admir
no sedano Et dicit. 3. qz pmo
admonitio ponit 2. ca ipms
subdit ibi Nemo pr. 3. rano
da ipf q admirabant reddi
tur ibi. Amen amen dico vob.
In p go pre amonet eos dices
Nolite murrare mce. Quia
preo corp fuit grammer i deser
to pmt ipf murrat don z ideo
her amonitio xpi e salubris ne
cadant i ositem pena
Nemo potest venire ad me
 nisi pr qui nult me traxo

rit enim. ¶ Respondit causa p
de murratone no p. can
sabat ex s boz xpi falsitate
en essent verista. s. ex m deoz
mcredulite z hoc est qd dicit
Nemo pr venire ad me. per
fidem fortia nisi pr qui nult
me traxerit en. ¶ Uthil. n.
pr accedere ad id q est supra
nam suam nisi ab alio traha
tur sd lapis no pr sursum
ascendere nisi p motu ali q
fitis ar fortia tan tate tra
hit q dano hoem ad nam di
na fm id 2. pet. 1. Magna
z preciosa pmisa donant
nob de v per her efficam o
sortes sine ne Et ideo hē do
mū no pphomo q regm nisi a
deo trahat. Judei ar no si
erat tracti ideo murrabat
de sbis xpi. Ili ar qui a pre
trahunt ad filiu per fidem
fortia q regnt vna et nam
ideo se. Et ego resistitabo
en in nomis die qd. Quia na
non est ad plenu bra donet
fuit corpori remita z quia
pde tracti e p dna ipna
coem ideo hoc on dit dicens
Scriptu est i iheros z erit
oes docibiles dei. 1. docti a
deo. ¶ Quia n. qm hē m
ysa. luy. ¶ Ponit oes filios dor
tos aduo et ie. m. ¶ Dabo vob
pastores vns cor men z pas
cent vos sta z docti. ¶ Et ca
dem sma en illa que hic a salua

